



CHRISTUS  
DEI ET HOMINIS  
FILIUS  
*Coronatus ad Liberatoris*  
MEDITANDUM  
ET  
IMITANDUM  
PER SINGULOS ANNI DIES  
PROPOSITUS

17 26  
P. CASPARO MÄNDL,  
Societ. JESU Sacerdote  
*Cum Privilegio Sac. Cæs. Maj  
& Facultate Superiorum.*

---

AUGUSTÆ VINDELIC.  
Sumptibus MATTHIÆ WOLF,  
Bibliopolæ,  
M DCC XXIII.

1850



1406

Reverendissimo  
 Prænibili & Amplissimo  
 Domino  
 DOMINO  
 AUGUSTINO,  
 Celeberrimi Collegii  
 DD. Canonicorum Regu-  
 larium S.P. Augustini ad Sanctam  
 Crucem Augustæ Præposito, &  
 ejusdem Sacri Ordinis per Dicæ-  
 cesim Augustanam Visitatori  
 Vigilantissimo,

*Domino meo Gratioſo.*

C Hristum exhibeo ad medi-  
 tandum & imitandam, il-  
 lūmque Reverendissimæ  
 ) 2                      Præ-

Prænobili & Gratiæ amplitudini tuae sisto communicandum  
Reverendissimo Collegio ad S.  
Crucem, ut videat, quām bellè  
in suo Præposito reluceat Chri-  
stus practicè, quem ego in hoc  
libello depinxi theoricè. Vide-  
bunt, qui Christum meditantur,  
in una sede morari majestatem  
& amorem. Qui Te aspiciunt,  
& illam, & hanc in Te venerantur,  
& amant. In his, quæ Patris  
mei sunt, oportet me esse, aje-  
bat Christus. Et hæc inter curas  
Tuas prima fuit, Domum Dei ad  
eam magnificentiam & elegan-  
tiam exornare, quæ Catholicam  
Augustam in sui admirationem  
& amorem raperet, circumjectos  
autem

autem populos ad devotionem  
invitaret. Christus in Thabore-  
jo monte transfiguratus disci-  
pulorum in se fidem confirmavit,  
dum faciem suam resplendescere  
ut solem fecit, & vestem super-  
nivem dealbavit. Qui novam  
Tuam & pretiosissimam Hiero-  
thecam circumferri vident, suspi-  
ciunt in ea gemmarum & auri  
fulgura, Christum verò transfi-  
guratum, dum vestem suam aliàs  
niveam, in Miraculosa Hostia  
purpureâ commutavit, ut etiam  
heterodoxi in hoc spectaculo  
Fidei, si vellent, verè Christum  
transfiguratum possent credere.  
Ignem venit mittere in terram  
Christus, & quid voluit, nisi, ut

accendatur? Accendisti hunc in omnium, quos aut reexisti hactenus, aut visitasti, cordibus exemplorum & sermonum Tuorum zelosissimis caloribus, ita ut inardescentes possent dicere: Verba vitæ æternæ habes. Verba Christi ad discipulos sunt: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Tua non verba, sed opera sunt, quæ non subditorum tantum, sed omnium aliorum animos in tuæ demissionis & mansuetudinis scholâ erudiunt. Christus fuit Primus ad S. Crucem Prælatus, cùm in monte Golgothæ regnavit à Ligno, coronâ spineâ pro mitra usus, & cruce pro pedo. Quem alium in finem

S. Augustino , Patriarchæ Tuo ;  
 Ecclesiam suam commendavit ,  
 quām ut eum sibi Prælatum sub-  
 stitueret , qui Apostolorum imi-  
 tatoribus Canonicis leges ferret  
 & Regulas ? Quid similius ? nam  
 ad S. Crucem Prælatus es , & Au-  
 gustinus es , & suam ad S. Cru-  
 cem , reliquásque per Dioecesin  
 Ecclesias commendavit . In uno  
 es Christo dissimilis ; quòd Chri-  
 stus habuerit unum inter disci-  
 pulos malum , Tu omnes habeas  
 bonos . Quæ cùm ita sint , atti-  
 gi scopum libelli mei , qui fuit  
 adumbrare Tuam Tuorūmque  
 vitam , in qua Christus perfectè  
 relucet , & ob hanc ipsam cau-  
 fam non alii , quām Tibi , & in

Te Filiis tuis illum dedicavi.  
 Quod si aliam causam dedicanti  
 propriam requiras, habet is in-  
 numeras, quia beneficia in ipsum  
 collata sunt innumera. In omnes  
 quidem, velut sol, beneficentiae  
 Tuæ radios diffundis, in dedi-  
 cantem autem etiam reflexos.  
 Paterem igitur, ut Sacratis mani-  
 bus Tuis gratus libellum offeram,  
 Tuæ virtutis Ectypon, & ve-  
 nerabundus osculum infigam.  
 Augustæ. Anno 1723.

*Reverendissimæ Prænobili  
 & Gratiæ Ampli-  
 tudini Tuæ.*

devotissimus servus  
 Auctor.

FA-



# FACULTAS

R. P. Provincialis.

*Cum Privilegio Cæsareo.*

**C**um D. Mathias Wolf Bibliopola Augustanus typis mandare desideret librum, cui titulus: *Christus Dei, & hominis filius &c.* à P. Casparo Mändl Societatis nostræ Sacerdote conscriptum: ego Bernardus Jost, Societatis JESU per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, potestate mihi ab Admodum R. P. nostro Michaële Angelo Tamburino, Societatis nostræ Præposito Generali concessâ, eidem ad primam duntaxat editionem

tionem facultatem impertio : si-  
mūlque communico Privilegium  
Cæsareum, quo aliis Bibliopolis,  
& Typographis interdicitur, ne  
dictum librum citra consensum  
Superiorum vel recudere, vel  
intra fines Imperii, & hæreditati-  
riæ S. C. Majestatis Provincias  
inferre præsumant. In cuius  
confirmationem has litteras  
chirographo meo, & consueto  
officii mei sigillo munitas dedi.  
Straubingæ 10. Jan. 1723.

(L.S.)

Bernardus Joſt.

LE-



# LECTORI Orationis studioso.

**L**ibellus iste manualis servire potest bene in arte meditandi exercitatis , qui solida aliqua veritate perspecta , facilè in discursus intellectus & affectus voluntatis poterunt excurrere. Finis præcipuus harum Meditationum est perfecta Christi imitatio ex doctrinis Evangelii , in quibus Christus Dominus noster se quasi vivum sanctitatis speculum omnibus , præcipue Sacerdotibus & Religiosis exhibuit : omnibus quidem , ne Christiani nomen

nomen absque factis gerant; Sacerdotibus autem & Religiosis, ut aliorum vel duces vel doctores in eminenti gradu ipsi possideant, quod aliis largiantur. Non obicit materiarum brevitas, si doctrinarum bene expensa fuerit veritas. Vale & fruere.



MEDITATIONES

*A prima Dominica Adventus usque ad Nativitatem Domini, quibus interponi debent Festi occurrentia, ad calcem posita.*

MEDITATIO I.

Punct. I. *Cum videritis abominationem desolationis, stantem in loco sancto.*  
*Matth. c. 24.* In templo positum fuit Idolum Gentilium. Cor hominis Christiani, maximè Sacerdotis & Religiosi, templum Dei est, quod sibi Deus exstruxit per gratiam. In eo Idolum collocat, qui Creaturam Deo præfert per quodcunque peccatum; & sic inducit abominationem desolationis. Quodnam est Idolum tuum?

Punct. 2. Abomination desolationis in templo sunt peccata graviora in loco sancto, in statu perfectionis. Queritur Deus *Jer. c. 11.* *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Dilectus meus? cui tot & tanta præstigi beneficia? quem vocavi in domum sanctam? Ille me offendat?

A

Punct.

Punct. 3. Locus desolatus est locus desertus ab habitatoribus. Habitatores sunt Virtutes statui convenientes, Iquæ si absint, Anima est locus desolatus. Et ubi virtutes non sunt, Christus non habitat. Edic, an ulla solida in te Virtus sit? Et cui studes serio?

## MEDITATIO II.

Punct. 1. *Væ prægnantibus.* Matth. c. 24. Quibus non relinquitur tempus parandi. Hi sunt, qui propositis bonis abundant, & quæ modò deberent párere, in futura tempora differunt: Quod hodie potes facere, ne differas in crastinum, ne, cùm venerit illud *Futurum*, propositum non recorderis amplius.

Punct. 2. *Et nutrientibus.* Ibid. quæ infantibus gravatæ non poterunt fugere. Fugisti ex sæculo; nihilne tecum attulisti, quod nutris affectu inordinato, quod te impedit ascendere in montem perfectionis? O quot amor proprius in te fœtus nutrit! Dic, ad tua peccata respiciens: Aliud non mereor, quam ut manum tuam mihi subtrahas, à regno tuo me exclusas, ad æternâ supplicia condemnes. Reliquum omne, quod mihi das, est unicè opus misericordiæ tuae, & miror, quod me adhuc in gratia respicias.

Punct. 3. *Orate, ut non fiat fuga ve-  
bra in hieme.* Matth. c. 24. Fuga in  
hic-

hieme est mors in tempore. Quò propius ad metam currimus, eò velocior sit gressus noster in omni studio fervoris, & optimo usu temporis. Fortassis hiems tibi ingruet citius, quam cogitas, hoc est, mors, quæ omne tempus merendi depopulatur.

### MEDITATIO III.

Punct. 1. *Tunc parebit signum Filii hominis. Matth. 24.* Ad terrorem omnium peccatorum, qui Crucem hanc Christo fabricaverunt, & fructus Crucis sibi applicare noluerunt. Millies *nunc* aspice Christum crucifixum cum detestatione tuorum peccatorum ut possis *tunc* Crucem aspicere cum solatio, & dicere: *O felix poenitentia!*

Punct. 2. *Tunc parebit signum Filii hominis* ad confusionem delicitorum Christianorum, qui Christum, Crucem baulantem, sequi noluerunt; dum ægrè tulierunt accusationes, reprehensiones, officia vilia, incommoda in viatu, vestitu, habitatione, æstu, frigore, &c.

Punct. 3. Ad consolationem ferventium Dei servorum, qui in hac vita quotidie Crucem in humeros suos sustulerunt, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contemptā. Qui modò non aspiciuntur, & latent in angulis ignoti, ibi erunt gloriosissimi.

## MEDITATIO IV.

Punct. 1. *Tunc parebit signum Filii hominis in cœlo. Matth. c. 24.* Scilicet Crux Christi, signum horrore plenum malis, qui erubuerunt humilitatem Christi coram hominibus, vel amore sui obœcati nihil pati voluerunt, ipso nomine Christiani indigni. Signum gaudio plenum bonis, qui Christo in ferenda Cruce, quotidie sui status onera perferendo, se conformati, timore, dolore, confusione contemptis.

Punct. 2. Quantus eorum tremor erit, qui Christi paupertatem & humilitatem contempserunt, cum viderint nunc Ejus maiestatem ! O quot sacrati Deo homines non observant, quam profitentur, paupertatem, & in statu humilitatis fovent innumerabiles superbias !

Punct. 3. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Matth. c. 24.* Viva fides futurorum minuit omnem difficultatem præsentium. Credere verbis Christi : Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Si totus mundus & infernus contra te insurgant, insiste verbis æternæ veritatis : certissimè venient, quæ promisit, & quæ minatus est. Credimus, sed superficialiter, & ideo non vivimus juxta illa, quæ credimus.

## MEDITATIO V.

Punct. 1. *Novissime autem misit ad eos Filium. Matth. c. 21.* Ut homo factus cum hominibus conversaretur, & esset perfectissimum exemplar omnium virtutum, in quod velut speculum sine macula intuerentur. Nihil unquam aggrediamur, nisi prius inspecto hoc speculo, & dicamus: quomodo Christus fecisset? qua intentione? qua fortitudine & constantia? quam mansuetudine insuperabilis?

Punct. 2. *Ipse Christus invitat eos ad sui imitationem: Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Joan. c. 13.* Si vis perfectus esse, veni, sequere me. *Matth. c. 19.* Sed bene considera, quos habeat comites, nimirum paupertatem, contemptum, dolorem: sine his non assequeris Christi vestigia.

Punct. 3. Complacet sibi in Filio Pater: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quidni etiam in nobis, habentibus imaginem & similitudinem in moribus nostris expressam? in quo, culpâ tuâ, Christo es dissimilis? an mansuetudinem illius refers erga omnes aequalis? an charitatem in omnes universalem? Beati mites, ait, quoniam ipsi possidebunt terram, hoc est, toti terræ dominabuntur, & omnium hominum corda ad se trahent.

## MEDITATIO VI.

Punct. 1. In imitatione Christi consistit nostra perfectio. Quò illi es similior, eò es perfectionis. *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte (vel Oliveti, vel Calvariæ) monstratum est.* Per partes autem inspiciendus est Christus, considerando singulas ejus actiones cum morosa & amorosa inhæsione.

Punct. 2. *Ut sit sicut magister ejus Luc. c. 6.* In imitatione maximè ostendit homo amorem erga Christum magistrum suum: nam, quem quis imitatur, hunc magni facit, & diligit. Amor similes invenit aut facit.

Punct. 3. *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum. Psalm. 122.* Quid non faciunt famuli et magnorum Dominorum ministri? quam sollicitè omnes nutus observant? quam accurate expiscantur, quid placeat, quid displiceat dominis suis? quam studiosè se accommodant genio ipsorum? Eadem, immò longe major sit sollicitudo tua, quomodo omnia facias ad beneplacitum supremi Domini tui.

## MEDITATIO VII.

Punct. 1. *Magister vester unus est Christus. Matth. c. 23.* Imitatio Christi non tantum debet esse in substantia operis,

ris, sed et in modo operandi. Dic: Christus docuit, quomodo? Christus conversatus est cum hominibus, quomodo? Christus pertulit injurias, quomodo? quomodo Christus ageret in hisce meis positus circumstantiis?

Punct. 2. Ita Christum debes imitari, ut cum S. Paulo possis dicere: *Vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Christus, me cum, & per me operans.* An ex actionibus tuis fratres tui Christum agnoscerent?

Punct. 3. *Gloria magna est, sequi Dominum.* Eccli. c. 23. Debes gaudere ex animo, quod sequi possis in oblata occasione Christum Dominum tuum; quod cum ipso esse possis socius operis, ad quod perficiendum Pater æternus illum misit. Quanta gloria, posse dicere: *Dei enim adjutores sumus.* 1. Cor. 3. Vide, ne illum tui pudere beat.

## MEDITATIO VIII.

Punct. I. *Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam inter terminos terre.* Psal. 2. Christus in instanti Conceptionis suæ obtulit te æterno Patri pro salute omnium hominum, amore universalis, nullum excipiendo. Estne amor tuus huic amori similis? non distinguens inter divitem & pauperem, formosum & deformem, atnicum

& inimicum? O quām sāpe aliud quāritur, quām animāe salus!

Punct. 2. *In capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.* Hebr. c. 10. Christus in instanti Conceptionis suā se ad omnem voluntatem æterni Patris sui obtulit, nihil excipiendo. An ita est constituta obedientia nostra? damus verba indifferentissima; at postmodum varia latibula quārimus excusationum, difficultatum, & titulorum coloratorum.

Punct. 3. *In flagella paratus sum! & dolor meus in conspectu meo semper.* Ps. 37. Christus à primo Conceptionis momento cœpit pati, & passus est usque ad ultimum halitum in Cruce. Nos autem omni studio conamur, omnia nobis adversantia removere, & quietam, ac difficultatis expertem vitam ducere; &, si non obtinemus, inutiliter querimur.

## MEDITATIO IX.

Punct. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum.* Matth. c. 11. Vocat Christus Joannem Bapt. Angelum; quia in carne & in mundo quasi extra carnem & mundum vivebat, corde & animo prorsus in unum Deum defixo. Versamur in mundo & inter homines; sed nihil de illo & his debet nobis adhærescere.

Punct.

Punct. 2. *Qui præparabit viam tuam*  
*anne Te.* Ibid. scilicet animas ad admittendum Christum per pœnitentiam. Tempus hoc tempus est ad præparationem pro nascituro in nobis Christo. Quare per teriam nostri inspectionem removeamus omnia, quæ Christo venturo in nobis possunt displicere.

Punct. 3. *Præparabit viam tuam.*  
Ibid. Quænam est via Domini? Christus ad nos ingrediens primum gressum figit in lingua nostra. An in hac nullus lapis offensionis est? forsitan loquacitatis, susurrantis, detractionis, asperitatis, politicismi?

## MEDITATIO X.

Punct. 1. *Dirigite viam Domini.*  
*Ioan. c. 1.* Scilicet rectas facite semitas ejus. *Luc. c. 3.* Sæpius ambulamus per ambages, declinando à scopo nostri itineris. Divertimus ad non necessaria. Distrahimur rebus inutilibus. Status nostri obliviscimur, obligantis nos tendere ad perfectionem.

Punct. 2. *Omnis vallis implebitur.*  
*Luc. c. 3.* Tot in vita nostra lacunæ sunt, quot sunt dies à bono, immò insigniore opere, vacui. Si has lacunas veluerimus replere, non nisi renovato fervore negligentias nostras & tædia compensabimus. *Renovamini spiritu mentis vestra.*

Punct. 3. *Et collis humiliabitur.*  
 Ibid. Colles nostri sunt superbiæ nostræ,  
 quibus ambulantem ad nos Christum, quin  
 & proximum nostrum fatigamus. Puta-  
 mus, omnia nobis deberi; omnes nobis  
 inferiores esse; omnium obsequia expe-  
 ñamus; à nemine corrigi, imò & moneri  
 sustinemus.

## MEDITATIO XI.

Punct. 1. *Dens mens volui, & legem  
 tuam in medio cordis mei. Tunc dixi:  
 Ecce venio. Psalm. 39.* Resignationem  
 perfectissimam hæc verba continent, qui-  
 bus Christus Incarnatus se Patri æterno ob-  
 tulit ad omnia pro homine toleranda.  
 Quæ tua est resignatio erga Deum & ejus  
 Vicarios? quid excipis? ad quid ægrè te  
 resolvis? Esséne aliquid potest, quod ti-  
 bi à providentissimo & optimo Patre gra-  
 ve sit?

Punct. 2. *Pro eis sanctifico me ipsum.*  
*Ioan. c. 17.* Benedicta Christi anima  
 in prima creatione sua, considerans amo-  
 rem Dei erga homines omnes & se maxi-  
 mè, redamavit Deum toto affectu, &c., ut  
 quidam putant, votum fecit amandi ho-  
 mines usque ad mortem. Quid si & tu  
 exardesceres in amorem Dei & hominum,  
 considerans Dei amorem erga te &  
 omnes homines absque ullo tuo merito?

Punct. 3. *Humiliavit semetipsum.*  
*Phi-*

*Philip. c. 2.* In eodem instanti agnovit Christi anima abyssum sui nihili , ex qua fuit extracta ad culmen summæ dignatio- nis per unionem hypostaticam ; & illico humiliavit se abyssali reverentia. Quid tu eras sine gratia ? quid es cum gratia ? à quo habes , quod habes ? quæ tua est obli- gatio ?

## MEDITATIO XII.

Punct. 1. *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam , accipere sibi regnum. Luc. c. 19.* Christus venit, ut quæreret sibi regnum, quod per peccatum amisit , nimirum animas hominum, quæ propriè regnum illius sunt. Idem regnum & tu quære, & ante omnia animam tuam, eamque fac regnum Christo verè subdi- tum, ut dici possit Christus Rex cordis tui.

Punct. 2. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Matth. c. 4.* Anima, quæ cognoscit Deum, & amat super omnia , est verè subdita Christi; quia omnia , quæ ei præcipiuntur, perficit, & applicat omnes potentias & vires ad Deum , supremum suum Dominum, glorificandum.

Punct. 3. *Pervenit in vos regnum Dei. Matth. c. 12.* Qui animam Chri- sto lucratur, eamque ad cognoscendum & amandum Deum instruit , dilatat regnum Christi, facitque longè plūs, quam si inte-

grum regnum expugnasset. Regna terræ cessabunt omnia, Regnum Christi, anima, manebit in æternum. Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?

## MEDITATIO XIII.

Punct. 1. *Quia Pater major me esse*  
*Joan. c. 14.* Contraxit se in Humanitat. Immensitas, & se contrahendo glorificavit Patrem suum Filius. Erras, si putas, quod magis promoteas Dei gloriam exaltando te. Non ideo glorificatur Deus, si æstimarisi, honoraris, amaris, &c. Sed tunc glorificatur Deus, cum anima tua magnificat Dominum, & alios allicit, ad eundem magnificandum.

Punct. 2. *Discite à me, quia misum & humilis corde.* *Matth. c. 11.* Quod minor es in oculis tuis, & esse vis in oculis hominum, eo major es in oculis Dei, & aptius eris instrumentum gloriæ Dei: tunc enim magis agnoscitur Deus facere, quod fit, quod minus tibi vis adscribere, & ab aliis vis adscribi.

Punct. 3. *Humiliavit semetipsum,*  
*Philip. c. 2.* Et ignorari voluit Christus: Deus Pater autem exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Ama igitur nesciri, &, quantum licet, absconde talenta tua: Deus ea in lucem

lucem protrahet, si volet; si noluerit, esto  
in obscuro usque ad mortem cum Christo in Cruce: satis tibi sit, aeternum esse  
gloriosum.

## MEDITATIO XIV.

Punct. 1. *Sic Deus dilexit mundum;*  
*ut Filium suum Unigenitum daret. Joan.*

c. 3. Bonum est sui communicativum. Infinitum bonum se communicavit Humanitati, cum se totum ei univit, ut homo diceretur Deus, & Deus diceretur homo. Magnum sit, si te totum Deo dederis, cum vix sis aliquid? aliquid vis excipere? dignus est, qui Deum amittat, cui aliquid extra Deum, cum ejus offensione, placet.

Punct. 2. *Sic Deus dilexit mundum.*

*Joan. c. 3.* Ostendit Deus omnipotentiam suam in honorando & ditando homine, dum summum, quod potuit, dedit, dando se. Quid impedit te, ut Deum non diligas ex omnibus viribus tuis? aequale non potes dare, da saltem, quod potes.

Punct. 3. *Debuit per omnia fratribus simulari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropriaret peccata populi. Hebr. c. 2.* Ostendit Deus summam justitiam, assumendo in se omne debitum tuum, & pro eo satisfaciendo ostendit etiam summam misericordie.

ricordiam : illam , quia per merita Christi , quæ sunt valoris infiniti , abundantissimè satisfactum fuit justitiae ; hanc , quia ex infinita bonitate Deus misit Filium suum . Sed in partem assumpsit Humanitatem , quacum Dei Filius mereri posset . Deus tecum vult operari , non sine te .

## MEDITATIO XV.

Punct. 1. *Venit enim querere & salvum facere , quod perierat . Luc. c. 19.* Christus , cùm totus mundus in maligno esset positus , ex infinita charitate factus est homo , ut tantis malis succurreret . Oste nde etiam tu , quòd sis Filius Dei , & juva , quantum potes , etiam ingratos , etiam gravissimos peccatores , etiam sine omni tua spe . Serva cor tuum plenum charitate , nullum neglige , nullum contemne .

Punct. 2. *Formam servi accipiens . Philip. 2.* Christus nihil sibi ignominiosum duxit , quod salutem hominis conciliare potuit . Disce , nihil pro vili aut ignominio habere , cùm de gloria Dei & hominum salute agitur , præsertim si legatione pro Deo fungeris . Est , qui singulos gressus , verba , & conatus numerat , quos pro Deo facis .

Punct. 3. *Venite ad me omnes , qui laboratis & onerati estis , & ego reficiam vos . Matth. c. 11.* Exhausit pro te ditando Christus divitias bonitatis suæ  
O ani

O anima ! fac pro Deo , quidquid potes ,  
 & nullum tibi statue modum , aut fines  
 Deum amandi , & pro Deo laborandi ! ni-  
 hil subtrahē illi , qui pro te dedit omnia.  
*Omnia à Deo sunt , & ideo omnia ad*  
*Deum referenda sunt ; quia propter se fe-*  
*cit omnia.*

## MEDITATIO XVI.

Punct. 1. *Et ego operor. Iōan. c. 5.*  
 Christus incepit primo vitæ suæ momen-  
 to mereri : se , labores , ærumnas & ipsam  
 mortem jam tunc obtulit Deo Patri in pre-  
 tium salutis nostræ , & per totam vitam  
 actus meritorios continuavit. Nullum  
 etiam tibi momentum transeat , quo non  
 opereris ad Dei gloriam , & tuam merear-  
 is. Nulla major prodigalitas , quam tem-  
 poris ad merendum concessi.

Punct. 2. *Et ego operor. Iōan. c. 5.*  
 in creaturis quidem omnibus , maximè au-  
 tem in hominibus in gratia Dei constitutis;  
 scilicet ut vitam habeant & abundantiūs  
 habeant : si tamen & nos cooperemur , &  
 Dei gratiam in nobis augere contendamus.  
 Cogita , quid Sancti ē cœlo ad te dicerent,  
 si tepidum , negligentem & otiosum te vi-  
 derent in tempore merendi.

Punct. 3. *Negotiamini dum venio.*  
*Luc. 6. 19.* Negotiatio nostra est usus me-  
 ritorius gratiæ , qui parvo molimine & bre-  
 vi labore maxima & æterna lucra colligit.

Laborat servus annum integrum pro modica mercede, & victu tenui mundo Domino. Servus autem Dei unâ horâ meretur mercedem æternam. O quam parum æstimamus lucra gratiæ! O quanta cœcitas nostra! qui pro tantis, tam certis, & æternis voluptatibus nihil pati, nihil laborare volumus! Ubi fides?

## MEDITATIO XVII.

Punct. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum Joan. c. 1.* Æternus Pater origo se ipsum cognoscens ab æterno producit ab æterno Verbum. Et hoc Verbum identitate Divinitatis erat apud Deum, atque ideo etiam ipsum erat Deus. Summa unitas est identitas in Deo, & hac stante est tamen distinctio inter Patrem & Filium, ut sint duo. Hoc eris divinior, quo magis cum Deo eris unus, voluntate sc. & amore.

Punct. 2. *Erat lux vera, que illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. Joan. c. 1.* Ita ut nullus possit conqueri, sibi omne lumen defuisse: Christiani verò, & maximè Catholici, & inter hos Docti præ cæteris fuerunt illuminati, & ideo etiam magis obligati. Quam rationem dabis tot neglectorum lumen?

Punct. 3. *Et mundus cum non cog-*

*novit. Ioan. c. 1.* Mundi amatores scilicet, qui, ne videant hanc lucem, sponte oculos claudunt. Et tu, quando peccasti, nonne spontaneam cœcitatem amasti? Lux magna est fides. Quiddices? an non creditisti in Deum? an non cognovisti Dei voluntatem? & tamen toties peccasti, & rebellis fuisti lumini!

## MEDITATIO XVIII.

Punct. 1. *Et non receperunt eum.*

*Luc. c. 9.* Samaritani Christum. Quare? quia illum non æstimarunt, audire veritatem noluerunt, Judæos aversati sunt. Sunt etiam Christiani, qui Christum non recipiunt, quia tepidè in illum credunt? conscientias suas peccaminosas inquietatim audiendo salutaria, & omnes viros Religiosos & perfectionis amantes oderunt.

Punct. 2. *Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos?* *Luc. c. 9.* Exarserunt zelo Johannes & Jacobus ex respectu erga Christum, sed indiscreto. Et nos quandoque statim omnia damnamus, & quasi ad infernum alegamus. Longè prudentius in labore & commiseratione erga delinquentes perseveraremus. Esto cum aliis, sicut velles Deum & alios esse tecum:

Punct. 3. *Nescitis cuius Spiritus estis:*

*Ri-*

guinem, non voluntatem propriam; & hunc Patrem suum amantissimis obsequiis constantissime demerentur, ac mori malent, quam hunc Patrem suum super omnia dilectum offendere etiam in minimo.

## MEDITATIO XX.

Punct. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* *Ioan. c. 1.* Christi merita sunt thesaurus noster, qui applicatur nobis potissimum per SS. Sacramenta, si illis dignè utimur: sunt enim causæ morales, moventes Deum, ut intuitu Auctoris horum Sacmentorum conferat gratias. Examina usum tuum, an ex consuetudine, an cum fervore is sit.

Punct. 2. *Et gratiam pro gratia.*  
*Ioan. c. 1.* Quia Christus erat Deo gratissimus, propter gratiam Christi etiam nos accepimus gratiam. Manet Christo sua gratia & sanctitas, quam ipse sibi meritus est: Quia autem Christo per Baptismum incorporamur tanquam membra capiti, ideo propter Christum in nos descendit gratia, ceu vita spiritualis in membra. Habésne aliqua in te signa hujus vitae spiritualis?

Punct. 3. *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* *Ioan. c. 1.* Christus est auctor gratiae & doctrinæ veritatis, quam præfiguratam per figuræ veteris

*Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Luc. c. 9.* Si verē consideraremus premium immortalium animarum, non ita desperaremus de eārum curatione, nec frustraneos labores nostros putaremus; cūm Deus misericors & longanimis etiam gravissimos peccatores expectet ad pœnitentiam. Noli indignari, sed misereri, & cogitare: Etiam me peccatorem Deus exspectavit.

## MEDITATIO XIX.

Punct. I. *In propria venit, & suis eum non receperunt. Joan. c. 1.* Venit ad gentem credentem, à tot Prophetis instructam, tam admirandis signis confirmatam, & hæc ipsa illum Bethlehemo exclusit, persecuta est, crucifixit. In propria venit, votis sibi adstricta, & in his ipsis non recipitur, aut expellitur, aut languide tractatur.

Punct. 2. *Quotquot autem receperunt illum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Joan. c. 1.* Qui utuntur hoc lumine; & in eo constanter progrediuntur, sunt filii Dei electi & dilecti. Ut autem nunquam vel ad dextram vel finistram declinent, semper subjectis lignis devotionis & fervoris lumen nutriunt.

Punct. 3. *Sed ex Deo nati sunt. Jo. c. 1.* Patrem Deum habent, non carnem & sangu-

guinem, non voluntatem propriam; & hunc Patrem suum amantissimis obsequiis constantissime demerentur, ac mori malent, quam hunc Patrem suum super omnia dilectum offendere etiam in minimo.

## MEDITATIO XX.

Punct. I. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Joan. c. 1. Christi merita sunt thesaurus noster, qui applicatur nobis potissimum per SS. Sacramenta, si illis dignè utimur: sunt enim causæ morales, moventes Deum, ut intuitu Auctoris horum Sacmentorum conferat gratias. Examina usum tuum, an ex consuetudine, an cum fervore is sit.

Punct. 2. *Et gratiam pro gratia.*  
Joan. c. 1. Quia Christus erat Deo gratissimus, propter gratiam Christi etiam nos accepimus gratiam. Manet Christo sua gratia & sanctitas, quam ipse sibi meritus est: Quia autem Christo per Baptismum incorporamur tanquam membra capiti, ideo propter Christum in nos descendit gratia, ceu vita spiritualis in membra. Habésne aliqua in té signa hujus vitæ spiritualis?

Punct. 3. *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Joan. c. 1. Christus est auctor gratiæ & doctrinæ veritatis, quam præfiguratam per figuræ veteris

teris Testamenti splendore ortus sui & prædicatione illustravit ; Ac proin tenebrimo amore in Christum flagrare debemus, à quo omnia bona gratiæ habemus, per quem salvati & liberati sumus.

## MEDITATIO XXI.

Punct. 1. *Quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex Spiritu spiritus est.* Joan. c. 3. Vide, quid quæras. Carnem quæris & sensum ? carnalia & sensualia invenies. Spiritum quæris & spiritualia ? invenies etiam hæc. Cave autem, ne cùm spiritu cœperis, carne consumeris : sensim devolvimur ad sensum & sensualia.

Punct. 2. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* Jo. c. 3. Summum scilicet ut sic : & prorsus immerentem dilexit, ut faceret sibi populum acceptabilem. Quid dabis tu ? quod tibi est charissimum : & tamen non dabis unum pro mille. Verè Deus : Charitate perpetua dilexi te ; ideo attraxi te miserans. An frustraberis hanc Dei dilectionem ?

Punct. 3. *Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam.* Joan. c. 3. Qui credit in eum fide viva, & viva fide cognitum timet & diligit, appretiando illum super omnia,

ha-

habebit vitam æternam, in qua pro mensura dilectionis habebit gaudium fruitionis, pro momentaneo labore æternum gloriæ pondus.]

## MEDITATIO XXII.

Punct. 1. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Joan. c. 3.* Lux est prædicatio veritatis; tenebrae sunt oppressio. Qui-cunque agnoscunt veritatem, & operantur iniquitatem, opprimunt veritatem & amant tenebras. O quæ & quanta agnoscimus & non facimus!

Punct. 2. *Omnis enim, qui maleagit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Joan. c. 3.* Omnes machinationes occultæ, quæ horrunt theatrum veritatis, tibi suspectæ sint. Si bene agis, & sincerè, quid times? in Deo agis.

Punct. 3. *Illum oportet crescere, me autem minui. Joan. c. 3.* Vera humilitas venit ad lucem. & non erubescit fateri, quod est. Joannes Baptista gavisus est sibi Christum præferri, promovit gloriam illius, misit illi discipulos suos. Verus humilis non æmulatur, gaudet aliorum laudibus & exaltatione.

## MEDITATIO XXIII.

Punct. 1. *Qui defurfum venit, super omnes*

*omnes est; qui est de terra, de terra est,  
& de terra loquitur. Ioan. c. 3.* Christus desuſum est, & ideo super omnes est, & de supernis loquitur. Qui imitator Christi est, super omnes mundi respectus est, & de supernis loquitur: qui autem Imitator Christi non est, de terra est, & de terrenis loquitur, ex abundantia cordis, talia volventis.

Punct. 2. *Quem enim misit Deus,  
verba Dei loquitur. Ioan. c. 3.* Examina discursus tuos, an deceat illum talia loqui, quem Deus misit? Nemo à te discedat, qui non sit factus melior, nemo sine consolatione.

Punct. 3. *Pater diligit Filium, &  
omnia dedit in manus ejus. Ioan. c. 3.* Christum Deum-Hominem diligit, & Christo Deo-Homini omnia dedit in manu ejus. O si nō ſent homines quid sit, habere secum Christum! in vicinia Christi habitare! Christum in ſe ſufcipere! quām confiden- ter & amanter accederent ad Thronum gratiæ! & aliud non cogitarent, quām ſuaviflimum hunc amorem ſuum.

# MEDITATIONES

## A Nativitate Domini usque ad Diem Cinerum.

### MEDITATIO XXIV.

#### In Festo Nativitatis Domini.

Punct. 1. *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Luc. c. 2.* Gaudium magnum est de magno bono, & si est pro omni populo, est universale. Quod autem majus bonum nobis potuit obtingere, quam Christus? & hic natus est pro omnibus; si tamen illum agnoscunt & recipiunt eam, quam par est, charitate, & gratitudine.

Punct. 2. *Quia natus est vobis hodie Salvator. Luc. c. 2.* Magnum hoc & universale gaudium hoc est nostra salus, quam habemus ex gratia Salvatoris nostri Dei, a quo habemus omnia, quae habemus, & habere possumus, si cum gratia illius cooperamur. Nobis natus est, id est, ad nostrum usum, ad nostram suauissimam conversationem & fruitionem.

Punct. 3. *Qui est Christus Dominus. Luc. c. 2.* Dei & Virginis Filius. Quanta dignatio! Deum accipere formam servi, & habitu inveniri ut hominem! quan-

quanta nostra dignitas ! habere hominem  
Deum ! Quanta hinc exsurgit fiducia no-  
stra in Christum Dominum ac Salvatorem  
nostrum , nostrum secundum carnem fra-  
trem ! ad sanctam invidiam Angelorum.

## MEDITATIO XXV.

### In Festo S. Stephani Protomar- tyris.

Punct. I. Stephanus autem plenus  
gratiâ & fortitudine faciebat prodigia  
& signa magna in populo. Acto. c. 6.  
Qui vult facere prodigia conversionum,  
sit plenus gratiâ & fortitudine, scilicet san-  
ctitate intrinseca & extrinsecâ. Nullum  
horreat laborem , nullum contemptum,  
nullum periculum, non ipsam mortem.

Punct. 2. Intendens in cœlum vidit  
gloriam Dei & Jesum stantem à dex-  
tris Dei. Acto. c. 7. Vide , quis te  
spœdet pugnantem ! vide , quid te exspe-  
det victorem ! unde ignavia tua ? nisi in-  
de, quod ista duo præ oculis non habeas?  
Vidit stantem, nempe in statu omnium bo-  
norum aggregatione perfecto. In hoc  
mundo nihil est stabile.

Punct. 3. Domine Iesu suscipe spiri-  
tum meum. Acto. c. 7. Ille te susci-  
piet, pro quo pugnaveris. Creata est  
anima tua , ut Deum cognoscat , colat,  
amet,

amet, & æternū possideat. Quid aliud quæris, ad quod creatus non es? quod debes deserere? quod æternū non facit beatum? Lapidès torrentis S. Stephano dulces fuerunt, quia spiritum ad Christum ejecerunt, omnium dolorum remuneratorem.

## MEDITATIO XXVI.

### In Festo S. Joannis Ap. & Ev-

Punct. 1. *Discipulum, quem diligebat Jesus.* *Ioan. c. 21.* Jesus autem nihil in nobis diligit, nisi virtutes & merita: diligebat ergo Jesus Joannem propter virtutes & merita, innocentiam, castitatem, charitatem, &c. Nunquid & nos amari cupimus à Christo? simus Joanni similes. Nunquid & nos diligimus? an propter virtutes & merita?

Punct. 2. *Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Iesu, quem diligebat Jesus.* *Ioan. c. 13.* Quid est recumbere in sinu Iesu? totum se ei committere; toto affectu ejus cordi adhævere; in solo illius amore velle quiescere; nihil aliud quærere nisi Iesum.

Punct. 3. *Cum vidisset ergo Jesus Matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri sue: Mulier ecce filius tuus.* *Ioan. c. 19.* Secutus est

est Joannes Christum usque ad Crucem, &  
stebat sub Cruce. Hunc amorem perseveran-  
tem usque ad mortem Christi sui Crucifixi  
compensavit illi Christus gratiâ incompa-  
ribili, dum eum loco sui in filium Ma-  
tri suæ dedit. Sequeris Christum, sed non  
usque ad montem Calvariæ.

## MEDITATIO XXVII.

### In Festo SS. Innocentum MM.

Punct. 1. *Iratus est valde. Matth. c. 2.*  
Herodes scilicet, videns se illusum. Non  
est sapientia, non est prudentia, non est  
consilium contra Dominum. Frustra sunt  
omnes machinæ contra illos, qui sunt in  
adjutorio Altissimi. Puer Jesus evasit.  
Nullius iram time, nisi Dei. Nullius cu-  
ræ te ultimatò comitte, nisi Dei.

Punct. 2. *Et mittens occidit omnes  
pueros. Matth. c. 2.* Irata ambitio om-  
ne scelus tentat, nulli autem magis nocet,  
quam sibi: Pueros creavit Martyres, sibi  
horrendum exitium. Cœca est omnis  
passio! in hac ne passum facito, nisi ve-  
lis cadere. Omnis impetus impingit.

Punct. 3. *Defuncti sunt enim, qui  
querebant animam Pueri. Matth. c. 2.*  
Adversarios habes? cede, & committe te  
Deo: habet iste mille vias te subducen-  
di omni adversariorum malitiæ, & inno-  
centiam tuam manifestandi. Nondum  
je-

septem annis in Ægypto cum Christo  
fuisti.

## MEDITATIO XXVIII.

Punct. 1. *Invenietis Infantem pannis involutum & positum in præsepio. Luc. c. 2.* Hic est actus primus, quo Christus correxit hominis peccatoris insipientiam. Fatus est peccator homo sicut equus & mullus, & ad extremam meritorum paupertatem redactus est. Pauperem Infantem aspice, & in præsepi instar bruti jacentem. Nutriebamur in croceis, & amplexati sumus stercora.

Punct. 2. *Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis. Luc. c. 2.* Glorificavit Divinus Infans Deum humilitate sua, & pacem attulit hominibus bona voluntate eum suscipientibus. Quid si Deum magis glorificares in infimis officiis, quam in summis? Quid si longè majori pace fruereris in voluntate erga omnes bona, quam in æmulante?

Punct. 3. *Pax hominibus bona voluntatis. Luc. c. 2.* Est autem magnum discrimen inter voluntatem & velleitatem. Velleitate plenus est infernus, non autem voluntate, efficaci scilicet, & quantum est in se faciente, & conante placere Deo in omnibus operibus suis. Volumus, volumus, sed nolumus conari.

## MEDITATIO XXIX.

Punct. 1. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non babet, ubi caput reclinet.*

*Matth. c. 8.* Christus in mundum veniens assumpsit sibi tres comites individuos paupertatem, contemptum, dolorem. Quomodo placent? En paupertatem in stabulo, in Matre paupere, in Nutritio, &c. quæ tua est paupertas? defecatum pateris sine querela?

Punct. 2. *Sni eum non receperunt.*  
*Joan. 1.* En contemptum! si eum agnivissent, utique receperissent? Ideo latere voluit, ut posset contemni. O quam longè absimus ab amore contemptus. Omnia in majus augemus, quæ à nobis bene fiunt, ut magis æstimemur; omnia tegimus quæ malè à nobis fiunt, ne contemnamur.

Punct. 3. *Nan est species ei, neque de scor, & vidimus eum, & non erat asperetus, & desideravimus eum, desperatum & novissimum virorum virum dolorum, & scientem infirmitatem.* Isa. c. 53. En dolorem! & hunc non tantum passus est in Passionis suæ biduo, sed totâ vitâ suâ ante oculos habuit, quæ in fine passus est. Quid pateris sine querela?

## MEDITATATIO XXX.

Pro clausulâ anni.

Punct. 1. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?* Ps. 115.  
 Recogita beneficia generalia & specialia hujus anni. Recogita omnia hujus anni peccata, & dic: quid retribui? His bene perpensis dic: quid retribuam in annum sequentem?

Punct. 2. *O Domine! quia ego servus tuus, & Filius Ancillæ tue.* Ibid.  
 Servus, quia Creatura; Servus quia Redemptus; Servus, quia Christianus; Servus, quia Sacerdos; Servus, quia Religiosus. Quot titulos & obligationes habes Deo serviendi? Filius es Sanctæ Ecclesiæ, Filius tui status, Filius sanctissimæ Matris Ancillæ Domini: sed qualis?

Punct. 3. *Dirupisti vincula mea, Tibi sacrificabo hostiam laudis.* Ibid.  
 O quæ vincula disrupti tibi Dominus, peccatorum, periculorum, occasionum, illorum &c.! An adhuc haeres? in quo? rumpe adhuc hodie, & fac te sacrificium perfectum ad omnimodam laudem Domini Dei tui.

## MEDITATIO XXXI.

In Festo Circumcisionis Domini.

Punct. 1. *Humiliavit semetipsum*, formam servi & peccatoris notam accipiens in Circumcisione sua. *Propter quod* & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Humilitas via est ad exaltationem, superbia ad ruinam. Humiles videri volumus, non esse.

Punct. 2. *Innocentissimum sanguinem* cum magno doloris sensu profudit Christus tuus. Erubescere hoc viso sanguine, qui, malus cum sis, bonus haberi vis. Aegrè fers accusari, vel puniri, etiam quando reus es cum tamen propter multa mala impunè commissa dignus sis, qui etiam hic innocens puniaris. Quid unquam passus es in silentio innocens?

Punct. 3. *Vocabis Nomen ejus Jesum*. *Luc. c. 1.* Id est Salvatorem. S. Franciscus Seraphicus Nomen Jesu cum exprimeret, vel audiret, jubilo quodam repletus interius, totus videbatur exterius alterari, ac si mellifluus sapor gustum, vel harmoniacus sonus ipsius immutasset auditum. Verè amantium hoc proprium est, libenter loqui, vel audire aliquid de amo-  
to.

ME

## MEDITATIO XXXII.

Punct. 1. *Transcamus usque Bethlehem, & videamus hoc Verbum.* Luc. c. 2. Gratia invitans & excitans præcessit, subsecuta est pastorum cooperatio, & conatus, eundo versus Bethlehem. Vide, ne gratia Dei in te vacua sit. O quot gratiae in nobis vacuae sunt! & de his omnibus rationem reddere debemus. *Transcamus!* à nostri languoris tenebris ad lucem siaciendi fervoris!

Punct. 2. *Venerunt festinantes, & invenerunt Mariam, Joseph & Infantem positum in praesepio.* Luc. c. 2. Nesci t tarda molimina Spiritus Sancti gratia. Non sis facilis in proponendo, sed bene perpende omnia: quod autem bene proposuisti, citò exequere, & invenies, quod cupis.

Punct. 3. *Et invenerunt.* Luc. c. 2. Mariam nempe & Joseph, ac Infantem, thesaurum totius orbis maximum cum ineffabili gaudio, & consolatione cordis intrinsecâ. Ecce! quomodo se manifestet Christus pauperculis, simplicibus, vocationem suam sequentibus, hominibus bonae voluntatis.

## MEDITATIO XXXIII.

Punct. 1. *Pauperes evangeliabantur.* Luc. c. 7. Disce, non eligere, speciosi  
B 4 of-

Officia , sed vilia Christi Domini exemplo,  
qui personis vilibus præ cæteris se manife-  
stavit. Ideoque in conversatione, in Scho-  
lis , Concionibus & Confessionibus aliis-  
que occasionibus libentiūs te talibus im-  
pende, eorum animas juvando domi & fo-  
ris , ut Christo Capiti tuo te conformes.

Punct. 2. Mirum est , quod rudis plebe-  
cula & publicani tam faciles fuerint in sus-  
cipiendo Joannis baptisme , Pharisei ve-  
rò & legis Doctores illud detrectaverint.  
Sunt nempe de communi sorte homines  
longè magis dispositi ad bonum, quàm ho-  
mines inflati doctrinā, divites & superbi.

Punct. 3. Idem dic de confidentibus &  
instruendis rudibus. Hi longè patientio-  
res sunt medicinæ , correctionis , & in-  
structionis sine respectu , & hoc ipso etiam  
facilioris emendationis. Si vis fructuosè  
laborare , & Deo placere, depone omnem  
respectum ad vestes , facies , & hujusmo-  
di mundi phaleras , & solas quære animas.  
Sunt multa fucis illita , quæ luce purgen-  
tur tua.

## MEDITATIO XXXIV.

Punct. 1. *Ubi enim thesaurus vester  
est , & cor vestrum erit. Lue. c. 12.*  
Si creatura aliqua thesaurus tuus  
est , adhærebit ei cor tuum cum in-  
juria Creatoris tui. Tunc autem crea-  
tura thesaurus tuus est, si inordinato amo-  
ge ei adhæres. Nihil sic maculat cor  
ho-

hominis, sicut impurus amor in creaturas.

Punct. 2. Thesaurus tuus est id, in quo totam tuam spem & fiduciam ponis. Estne homo? amicus? Patronus? quot fures & tineæ hunc thesaurum poterunt corrumpere? O Anima, quid vagaris? quære unum bonum, in quo est omne bonum.

Punct. 3. Nihil sollicitiore cura custoditur, quam thesaurus. Si ergo gratia Dei thesaurus tuus est, omni conatu custodi cor tuum, ne quid irrepatur, quod illam eripiat. Nunquam committe illam periculo; in omnibus viis pone vigilias & formem armatum.

## MEDITATIO XXXV.

Punct. 1. *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Matth. c. 14.* Illam plantam non plantat Deus, quæ non plantatur propter Deum, sed vel ex superbia, vel affectu carnis, vel lucro proprio &c. & ejusmodi plantæ eradicantur, dum exitum sortiuntur malum & præproperum.

Punct. 2. Illa plantatio non est Patris, quæ non est juxta vocationem. Hinc nullum expecta fructum, si te immiseris negotiis, tuam vocationem non decentibus, aut à modo tuæ vocationis abludentibus: nam ad ea, ad quæ vocat Deus, dat gratiam, ad alia non.

Punct. 3. Qui plantat, debet habere felicem manum, ut ajunt hortulani: non autem poterit habere felicem manum, qui ipse non est optimi exempli, & manu una destruit, quod altera plantavit. Intrinsecè, cum affectu, & fervore bonus sit, qui aliquid ad Dei gloriam efficere intendit.

## MEDITATIO XXXVI.

### In Festo Epiphaniæ Domini.

Punct. 1. *Vidimus stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.*

*Matth. c. 2.* Stella est gratia excitans. Sine mora Reges stellam secuti, & viva fide ad usque præsepe profecti sunt. O quotibi stellæ micant! quot gratiæ pereunt stellæ veritates sunt, quas agnoscis, & negligis.

Punct. 2. *Videntes autem stellam gaudi visi sunt gaudio magno valde Matth. c. 2.* Quamdiu apud Herodem fuerunt, stellam non viderunt, ab hoc discedentes vide runt. Tanti est, procul à malis abesse. Stella est ductus conscientiæ. Hanc qui sequuntur, semper gaudent gaudio magno valde. Stella est obedientia, quæ directè dicit ad Christum.

Punct. 3. *Procidentes adoraverunt eum. Matth. c. 2.* Non obstante rerum omnium indigentia adoraverunt, & munera obtulerunt. Imitare Regum fidem

& liberalitatem : fidem , quando etiam nihil  
vides ; liberalitatem in offerendo eo , quod  
omnium maximè diligis . Totum ofer,  
ut totum obtineas.

## MEDITATIO XXXVII.

Punct. 1. *Vos misistis ad Joannem ,  
& testimonium perhibuit veritati .*  
*Joan. c. 5.* Scivit Joannes Judæorum  
adversus Christum odium , & tamen hoc  
non obstante , & posito omni respectu ex-  
currit in laudes Christi . Hic fortis in  
Deum amor est , qui omnem respectum  
humanum & vanum timorem contemnit  
pro veritate . Non amat verè , qui , non  
amat constanter .

Punct. 2. *Ego non ab homine testi-  
monium accipio .* *Joan. c. 5.* scilicet ,  
ut tali testimonio acquiescam , sed solius  
Dei testimonio contentus sum . Vide an  
non frequentius , & avidius consecuteris  
humanum beneplacitum , quàm Divinum ?  
Multa facimus , quæ non faceremus , si  
spectatores homines non haberemus ,

Punct. 3. *Ego non ab homine testi-  
monium accipio .* *Joan. c. 5.* Si tu hoc  
ipsum posses dicere , non ita tristareris , si  
vides homines de te sinistrè sentientes .  
Non potes quietè dormire , si homines  
tibi adversantes nōsti . dormis autē n̄ sine  
interruzione , postquam Deum offendisti ,  
& consequenter adversarium habes .

## MEDITATIO XXXVIII.

Punct. 1. *Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam.*

*Matth. c. 10.* Vide, quām ferventer, quām omni conatu laborandum tibi sit in omnibus officiis, in quibus occuparis a Superioribus, et si nullum adesset solatium humanum, nulla hominum gratitudo, nullus applausus hominum usque ad mortem: sic vitam perdendo lucraris.

Punct. 2. Bonus Religiosus non debet curare, etiamsi in officiis sibi commissis decem annos vitae perdat. Debet vita Religiosi similis esse thuribulo fumanti, cui inscribi possit: *Sacro consumitur usum.* Non potes vires melius atterere, quām in servitio Domini tui; etiamsi decem annis citius moriaris. Nunquam tamen agas indiscretè.

Punct. 3. Postquam mundum, tua, te reliquisti, Deus & Superiores de te poterunt disponere, sicut volunt; & tu, cūm juris tui amplius non sis, ne mutire quidem audebis contrà, nisi velis, quod promisisti, sacrilegè revocare. Quid profest, ait S. Prosper, sub obedientia viventibus, quòd facultates suas abjiciunt, proprias voluntates non relinquunt? cùm sit præstantius, voluntatibus renunciare, quām rebus.

## MEDITATIO XXXIX.

Punct. 1. *Quam dabit homo communationem pro anima sua?* Matth. c. 16. Quidquid tibi mundus, caro, & dæmon obtulerint pro anima tua, quasi infinitè minus est, quam sit anima tua. Quam igitur stultum est, animam venalem facere pro cogitatione una graviter peccaminosa? & pro re quavis peritura?

Punct. 2. Si millionem annorum habere posses in omnibus deliciis excogitabilibus peccaminosis, quid esset iste millio ad animæ tuæ immortalitatem? millio iste finiretur, & quid æternum haberet anima tua? Ah! quam longè distat à millione, quod offert tentatio!

Punct. 3. Si igitur eo pretio, quo digna est, æstimas animam tuam, duo præstabis. Primum: omnia ea diligenter fugies, per quæ de anima tua periclitari potes. Alterum: omnia ea facies, quæ animæ tuæ prædestinationem certam possunt reddere.

## MEDITATIO XL.

Punct. 1. *Magister, sequar te, quod eus magne ieris.* Matth. c. 8. Magna promissio! fortasse autem non absimilis tuo proposito. Ille audita Christi paupertate Christum secutus non est, tu ad omnem difficultatem in via Christi recedis à proposito. Magna promittis: an servas?

tis, difficultatis, eversi favoris &c. pro-  
sternet propositum tuum.

Punct. 3. *Qui audit verba mea hac,  
& non facit &c. Matt. c. 7.* Qui cognoscit  
voluntatem Domini sui, & intelligit inspi-  
rationes Dei sui, & ex torpore ac tepore  
non exequitur, proximus est ruinæ magnæ  
domus suæ spiritualis.

## MEDITATIO XLII.

Punct. I. *Væ vobis divitibus ! quia  
habetis consolationem vestram. Luc. c. 6.*  
Intelliguntur illi, qui temporalibus totos  
se immergunt, spiritualium, æternorum,  
& conscientiæ curam negligunt. Cùm evi-  
gilaverint in hora mortis è somno suarum  
consolationum, nihil invenient in mani-  
bus suis.

Punct. 2. *Væ vobis, qui ridetis nunc !  
quia lugebitis & flabitis. Luc. c. 6.* Sunt  
illi, qui ducunt in bonis dies suos, & ni-  
hil minus faciunt, quam ut pro æternitate  
laborent, aut aliquid patientur. A cœlo  
non transitur ad cœlum. Negotium tuum  
maximum sis ipse.

Punct. 3. *Væ, cum benedixerint vo-  
bis homines. Luc. c. 6.* Plausus homi-  
num multos inescat, qui omnia faciunt,  
ut videantur ab hominibus: hi receperunt  
mercedem suam. O vana studia morta-  
lium ! laboribus, quibus cœlum mereri  
pol-

possent, emunt vanam gloriam, laudes audientium, favores Patronorum &c. & tempus merendi dilapidant.

## MEDITATIO XLIII.

Punct. 1. *Si diligitis eos<sup>4</sup>, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam & peccatores diligentes se diligunt.* Luc. c. 6. Quàm modicam mercedem habebimus apud Deum pro multis operibus, quæ facimus magis ex privata affectione, quàm sancta intentione! plurima non facturi, si non allubescerent genio. Facimus sancta, sed non sanctè.

Punct. 2. *Benefacite & mutuum date, nihil inde sperantes.* Lue. c. 6. Raro aliquid proximo præstamus sine spe retributionis, gratis & propter solum Deum vix aliquid. Purus amor vult benefacere, & aliud nihil quærere.

Punct. 3. *Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est,* Luc. c. 6. erga bonos & malos, gratos & ingratos, sanctos & maximos peccatores. Quare? quia amat animas, animas, quas omnes vellet salvas fieri. Nihil ita Divinum est, quàm omnibus bene velle & facere ad salutem.

## MEDITATIO XLIV.

Punct. 1. *Remansit Puer Jesus in Ierusalem.* Luc. c. 2. Daturus specimen aliquod Divinitatis suæ in templo coram

Doctoribus, & ut esset in his, quæ Patris erant. Ante omnia incumbamus ad ea, quæ vocationis nostræ sunt: propter hæc enim in mundum & statum nostrum Deus nos posuit. De his, & non aliis Deo rationem dabimus.

Punct. 2. *Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te* *Luc. c. 2.* Non nesciebat hunc dolorem Christus, amabat quoque Matrem suam & Nutritum, voluntatem tamen Patris sui æterni anteposuit omnibus. Nulla te creatura impediat ab executione Obedientiæ, Dei nomine imperantis. Avellere etiam cum dolore ab impedimentis.

Punct. 3. *Dolentes quærebamus te.* *Lue. 2.* Multi amittunt Christum & amicabilem ejus præsentiam, nec tamen quærunt illum, dolentes de tempore suo, quo eum fugaverunt. Quare? quia non satis æstimant thesaurum, quem amiserunt. Dolemus de rebus minimis, de maximis non curamus.

## MEDITATIO XLV.

Punct. I. *Et erat subditus illis.* *Luc. c. 2.* Quibus? Mariæ Matri & Joseph Nutritio, Deus hominibus. Multa egit, multa dixit Christus per annos triginta: sed hæc omnia hac gnomè conclusit Evangelista: *Et erat subditus illis.* Præclarum elo-

eloquium Religiosi est: Totâ vitâ suâ fuit obediens.

Punct. 2. Obedientia nobilissimas hominis potentias, voluntatem & judicium, Deo mactat, & in holocaustum offert, dum eas abnegat & Superiori, loco Dei, resignat. Et hoc difficile non est ei, qui considerat, Filium Dei obedire hominibus. Felix hæc servitus, ait S. Bonaventura, immo gloriofa libertas, quâ quis sponte in regiam venditus servitutem Deum & ejus Vicarios potius quam se ipsum superregnare constituens, suæ prorsus renunciat voluntati.

Punct. 3. Vivere sub obedientia nihil est aliud, quam suum onus aliorum humeris imponere, id quod uti facillimum ita securissimum est. Erubesc superbit! cinis! Deus te humiliat, & tu te exaltas! Deus te hominibus subdit, & tu, dominari gestiens hominibus, tuo te præponis Auctori! S. Bern. Serm. 1. sup. Missus est.

## MEDITATIO XLVI.

Punct. 1. *Nunquid lex nostra judicial hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognoverit, quid faciat? Joan. c. 17.* Hæc Nicodemus pro Christo. Disce primò semper audire etiam alteram partem, & interim judicium suspendere: Deinde proximum defendere, quando ejus fama traducitur: denique ad hominum facta, non dicta respicere.]

Punct.

Punct. 2. *Nunquid & tu Galilaeus es?*  
*Joan. c. 7.* Ita Pharisei contra Nicodemum, Christum defendantem. Sic quandoque detractores in eos invehuntur, qui aliorum honorem defendunt. Tu vero sita firmiter pro proximo tuo æquitate, & Christiana charitate: id ipsum velles fieri tibi.

Punct. 3. *Sed turba haec, quæ non novit legem, maledicti sunt.* *Jean. c. 7.* Hæc Pharisei, qui omnes præ se contemnebant, & plebem instar canum habebant. His Phariseis similes sunt, qui cum suis doctrinis voluntantur in carne & sanguine, vacant suis commodis, abutuntur sua altitudine, pauperes & viles non aspiciunt, & vix pro hominibus habent.

## MEDITATIO XLVII.

Punct. 1. *Secuti sunt eum multi, & curavit eos omnes.* *Mattb. c. 12.* Sicut solis est, illuminare omnes, qui obicem non ponunt, ita Christi & Christianorum est, benefacere omnibus, qui beneficium poscent, imd & non poscentibus, sed indigentibus. Nihil homini sancto jucundius est, quam aliis propter Deum prodere.

Punct. 2. *Non contendet, neque clamabit, neque audies aliquis in plateis vocem ejus.* *Mattb. c. 13.* Expende man-

sue-

suetudinem, & lenem docendi modum! Neminem contentiosè & cum clamoribus increpat, & tamen veritatem propagat. Nihil ita se insinuat in hominum animos, sicut mansuetudo, & modus agendi sine passione. Non ingenui tantum, sed & crudissimi mansuetudinem reverentur.

Punct. 3. *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua.* Matth. c. 13. Nazarethani videntes Christum comedere, bibere, dormire, laborare, & cognatos ejus pauperes, contempserunt eum. Non debemus aspicere personas, sed facta. Nullam conditionem debemus contemnere, sed talenta considerare. Quem Deus assunxit pro instrumento suæ gloriæ, homo non debet aspernari.

## MEDITATIO XLVIII.

Punct. 1. *Extende manum tuam.*  
*Matth. c. 12.* Criminabantur Pharisei Christum, quod Sabbatho curaret; sed quam malitiosè! An non licet Sabbatho loqui? Non attigit Christus manum, nihil operatus est, sed dixit: *extende manum.* Æmulatio & invidia plenæ sunt malitiæ, male interpretantur omnia. Nihil unquam agas aut loquaris, nisi animus tuus in pace & quiete sit compositus.

Punct. 2. *Extende manum tuam.*  
*Matth. c. 12.* Ille habet manum aridam, qui piger est ad operandum. Manum suam ex-

tendit, qui laborem fortiter aggreditur propter Deum. Ariditas nostra est tedium, tepiditas, pigritia, fuga laboris, defectus succi vitalis.

Punct. 3. *Et manus ejus dextera erat arida.* *Luc. c. 6.* Manus dextera est manus misericordiae, erogans eleemosynam. Tunc est arida, quando potest, & non vult misereri. Vix est homo, si tamen ullus est, qui non posset, si vellet, alteri praestare beneficium: si omnia desunt, saltem bene velle potest.

## MEDITATIO XLIX.

Punct. 1, *Discipuli autem ejus esurientes coeperunt vellere spicas, & manducare.* *Matth. c. 12.* Magna paupertas discipulorum Christi fuit, carentium etiam viatu necessario. Ubi adverte, nullum discipulorum questum esse propter hunc defectum, & paucis fuisse contentos. Valde imperfecti sunt Religiosi, paupertatem professi, qui de viatu, vestitu, habitatione &c. queruntur.

Punct. 2. *Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere sabbathis.* *Matth. c. 22.* Pharisei debuissent attendere doctrinæ Christi, & sui ipsorum reformatio-ni, non autem accusationi discipulorum. Quid proficis attendendo ad omnia alia te neglecto? Hominum otiorum, & su-curam

curam non habentium est, omnia obser-  
vare.

Punct. 3. Si autem sciretis, quid est  
misericordiam volo, & non sacrificium.  
*Matth. c. 12.* Excusat suos discipulos  
Christus, tum quia licentiam illis dederat  
ad vellicandum, cum quia dispensavit in  
Sabbatho; & addit: vos debuissetis magis  
studere misericordiae erga famelicos, quam  
scrupulosè & supersticiosè eos argueret  
de violatione Sabbathi. Valde turpe est  
omnia allatrare.

## MEDITATIO L.

Punct. 1. Ecce verè Israëlita, in quo  
dolus non est. *Joan. c. 1.* Politicus in  
sensu, quo nunc sumitur, & Religiosus  
monstrum est. Nunquam ita constantes  
duplicitatem suam tegit, ut non denique  
videatur cauda vulpina, & ob hanc ipsam  
perdit omnem fidem & existimationem.  
Et si hæc cauda non videretur, abomina-  
tio coram Deo est cordis duplicitas.

Punct. 2. In quo dolus non est. *Joan.*  
*c. 1.* Magna laus sinceritas, inge-  
nituperium dolus, præfertim in personis  
Deo dicata, in qua nemo fraudem suspi-  
catur. Benignissimis oculis Christus Natha-  
naëlem aspexit, quia intima illius perspi-  
ciens nihil dolosum reperit. An ita cor-  
tuum erga Deum & homines?

Punct.

Punct. 3. *Unde me nōsti?* *Joan. c. 1.*  
 Cūm essem sub ficu, vidi te, ait Christus  
 videns omnia. Saltem ita reverere oculos  
 Christi Domini tui, sicut revereris oculos  
 hominum alicujus auctoritatis, & quod  
 faceres vel non faceres ob oculos huma-  
 nos, fac vel omitte ob Divinos.

## MEDITATIO LI.

Punct. 1. *Dimissa turba ascendit in naviculam.* *Matth. c. 15.* Turba est  
 sacerdotium. Navicula est status tuus. Turbam  
 igitur penitus dimitte, quantum ratio sta-  
 tus tui permittit; in navicula autem sede  
 quietus cum tuis. Religiosum nihil è clau-  
 stro exire faciat, nisi causa religiosa.

Punct. 2. *Ascendit in naviculam.*  
*Matth. c. 15.* Qui in statum Religio-  
 sum ingreditur, debet ascendere ad mo-  
 dum vitæ perfectiorem. Et quia omnis  
 ascensus habet aliquam arduitatem, debet  
 Religiosus multa in ascensi vincere. Reli-  
 giosus non vincens se, non vivit religiosè,  
 non ferventer, subiacet plurimis invasio-  
 nibus inimici. Pulchrè S. Bonaventura:  
 Ollæ ferventi non insident muscæ. Sic  
 Religioso ferventi non veniunt tentationes.

Punct. 3. *Ascendit in naviculam.*  
*Matth. c. 15.* Ad quid? varia sunt na-  
 vigantium officia. Unus sedet ad guber-  
 naculum, aliud remigat, aliud sedet in spe-  
 cula

cula. Sic tu paratus esse debes ad omnia, cogitans, omnes demum venire ad portum felicitatis. Qui suo officio contentus est, & eo cum diligentia fungitur, & in aliorum officia se non intrudit, feliciter navigat.

## MEDITATIO LII.

Punct. 1. *Ex Principibus multi crediderunt in eum; sed propter Phariseos non confitebantur, ut è Synagoga noī ejicerentur. Joan. c. 12.* Quid non facit respectus humanus! Multi etiam ex Christianis erubescunt Christum & ejus justitiam, ne malorum amicitiam perdant. Non desunt etiam in Religiosis, qui erubescunt sancta loqui & facere in præsenti Sæcularium.

Punct. 2. *Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. Joan. c. 12.* Plurimi timent magis pecare in conspectu hominum, quam Dei. Multi ut honorentur ab hominibus, faciunt aut admittunt aliquid contra Deum. Multi desistunt à bono propter idolum: quid dicent homines? Dic: quis Dominus ferret, si arbor à se plantata fructus daret inimicis suis? si servus à se conductus pro vita & mercede sua laboraret aliis?

Punct. 3. *Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non*

*non maneat. Joan. c. 12.* Quoties' indi-  
gnum aliquid corde concipimus, toties in  
lumine (conscientiæ) peccamus. Cùm ve-  
rè nos videri non credimus, in sole clau-  
sos oculos tenemus. Tenebræ itaque no-  
stræ, qui credimus, voluntariæ sunt.

## MEDITATIO LIII.

*Punct. 1. Posuit rationem cum eis.*  
*Math. c. 25.* Christus est Judex noster,  
& reddit unicuique secundùm opera ejus.  
Quàm multa opera nobis sine lucro tran-  
seunt! quid pro illis reddet nobis Judex  
noster? Lucra temporalia sollicitè cura-  
mus, æterna plurima negligimus. Cave,  
ne frustra labores.

*Punct. 2.* Dum vivimus, conscientia  
nostra nos judicat, tanquam Christi vica-  
ria. Reprehendit in nobis mala, incitat ad  
eorum pœnitentiam & satisfactionem. Si  
hunc Judicem audire negligimus, certò cer-  
tiūs audiēmus alterum longè severiorem.

*Punct. 3.* Judex tuus est Confessarius  
tuus, itidem Dei vicarius. Si ea ratione  
tua errata illi fateris, quā audies tibi  
à Christo dici, felix es. O terribilem  
superbiam nostram! quæ omnia vel ex-  
cusat, vel minuit, vel omnia tacet, &  
magis confundi coram Deo & toto mun-  
do, quàm coram uno hominē, sibi simi-  
li peccatore.

## MEDITATIO LIV.

Punct. 1. *Cum venerit Dominus ejus.*  
*Matth. 24.* Christus est Dominus noster, consequenter debemus ei praestare, quæ servi Dominis. Præstant autem servi Dominis obsequia, reverentiam, fidelitatem, defensionem, augmentum bonorum; quid tu?

Punct. 2. *Ubi sum ego, illic & minister meus erit.* *Ioan. c. 12.* Servus enim debet comitari Dominum suum. Ego autem, dicit Dominus, in laboribus sum à juventute mea. Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Servus ergo cum sis, extra laborem Domini non sis. Sit autem labor tuus tanto Dominus dignus.

Punct. 3. *Dominus meus & Deus meus!* *Ioan. c. 20.* Sperant servi mercedem, promotionem, tutelam, gratiam, &c. Gaude, quod talem Dominum habeas, in cuius manu sunt omnes thesauri, omnes dignitates in cœlo & in terra, omnes creaturæ, & insuper liberissimum, qui etiam minima obsequia remuneratur æternum.

## MEDITATIO LV.

Punct. 1. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* *Luc. c. 6.* Christus est medicus noster, scit infirmitates nostras, sed

Sed tamen vult nos ipsas ei fateri. Dic igitur, laborare sensas tuos, tuas potentias, scatere te habitibus pravis, propendere te ad malum &c. Singula enucleatè agnosce & explica.

Punct. 2. Tres præscribit medicinas. Excitat ad fugam peccati, ad amorem virtutis, ad profectum in spiritu. An omnes tres eo, quo decet, modo sumis? Naturam nauseantem vincis? Quid profundit tot in Religione remedia & adjumenta, si perfunctoriè iis uteris?

Punct. 3. Considera annos, quos exegisti in applicandis mediis pro tuorum maiorum curatione? Si vel uno ritè fuisses usus examine conscientiæ, pridem omnia prædicta tria remedia sanitatem tibi attulissent. Singulæ meditationes pro singulis diebus sufficerent &c.

## MEDITATIO LVI.

Punct. 1. *Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra. Luc. c. 16.* Homines facillimè possumus decipere, quia vident, quæ parent; Deus autem intuetur eorū. O quām aliter apparebimus coram Deo, quām modò habebamur ab hominibus! Ambula coram me, & esto perseverans, ait Dominus ad Abraham.

Punct. 2. *Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. Luc. c. 10.*

Quod apud homines in summa aestimatio-  
ne est, in amore, veneratione &c. coram  
Deo subinde prorsus nihil est. Litigamus  
pro rebus, prensamus res, vitam consu-  
mimus pro rebus, quæ apud Deum nihil  
sunt. Debebunt aliquando multi fateri:  
Totam noctem (vitam) laborantes nihil  
cepimus.

Punct. 3. *Homo quidam erat dives,*  
*qui inducatur purpurâ & byssô, & apu-*  
*labatur quotidie splendide. Luc. c. 16.*  
Quid hoc Epulone felicius? quid mendi-  
co Lazaro miserabilius? quis autem nunc  
non mallet esse cum Lazaro quam cum  
Epulone? Et dixit illi Abraham: Fili re-  
cordare, quia recepisti bona in vita tua,  
& Lazarus similiter mala; nunc autem hic  
consolatur, tu vero cruciatis; uterque  
æternum.

## MEDITATIO LVII.

Punct. 1. *Cujus est haec imago & su-*  
*perscriptio? Matth. c. 22.* Estne in te  
imago boni Christiani? boni Catholici?  
Erit, si ex te reluceat Christus, in conver-  
satione sanctus, in doctrina spiritualis, in  
modo agendi mansuetus, cum omni ho-  
minum genere sine respectu, considerans  
omnes ut Dei imagines.

Punct. 2. *Estne in te imago boni Religio-*  
*si?* Erit, si in te reluceat Sanctus Funda-  
tor tuus per regulas ab illo dataes, per ob-  
ser-

servationem votorum ab illo declaratam, per virtutes vocationi tuæ proprias, per exercitia ad finem Religionis tuæ ordinata.

Punct. 3. Estne in te imago Patris æterni? Erit, si fueris pacificus, si dilexeris inimicos, si erga omnes beneficus, si amaveris Christum, si Christi regnum propagaveris. Hi omnes filii Dei vocabuntur.

## MEDITATIO LVIII.

Punct. I. *Quarite primum regnum Dei. Matth. c. 6.* In omnibus occupationibus nostris præcedant ea, quæ speant immediate ad cultum Dei. Non seligamus tempora, in quibus optimè sumus dispositi, ad functiones alias, & illa, in quibus sumus fessi aut somnolenti, ad orandum & alia spiritualia exercitia.

Punct. 2. In ipso etiam modo agendi non eluceat major diligentia & applicatio ad res indifferentes, quam ad exercitia cultus Divini: merito enim displices Deo hæc implicita sui postpositio.

Punct. 3. Fivis est primum in intentione: qua propter quære primum, primariò, & ante omnia, quæ Dei sunt, & ipsum Deum; & cætera omnia adjicientur tibi à Deo, tui curam habente, tibi benediciente, & omnia ad optimum successum dirigente.

## MEDITATIO LIX.

Punct. 1. *Pater noster. Matth. c. 6.*  
**N**oster est, quia creavit nos; qui titulus in Deo longè major est, quam in ullo Domino in mancipium vilissimum. Ideo teneamur Domino nostro longè perfectius subesse & servire, quam ullum mancipium Domino suo. Mancipium & Dominus sunt naturâ pares. Dominus mancipium non creavit. Quis Deus, qui nos?

Punct. 2. Deus est *Noster* ratione amicitiae & favoris erga nos. Pondera, quot modis Dominus Deus veræ amicitia magis satisfaciat, quam ullus aliis amicus. Quam grande beneficium, quod tanta maiestas nobiscum velit habere amicitiam eamque æternam!

Punct. 3. *Noster* est conversatione dum toties ei loqui possumus, quoties volumus. Cur ego tu non ita libenter nec tam diu cum tali amico conversari soles, uti soles cum misero homuncione cum quo una & plures horæ sunt tibi instar quadrantis? cur mavis offendere hunc amicum summum, ne offendas socium?

## MEDITATIO LX.

Punct. 1. *Pater noster. Matth. c. 6.*  
**D**eus est totus noster: omnia enim nobis cum Christo donavit: Creavit omnia primariò propter se. Deus finem alium habet

bere non potest, quam se. Secundariō propter nos. Conservat & auget omnia propter nos. Opera Redemptionis ordinavit propter nos. In cœlo sedet gloriōsus propter nos, ut nos æternūm satiet sui communicatione.

Punct. 2. Cum Christo in SS. Eucharistia totus DEUS se dat nobis, est noster cibus spiritualis & alimentum animæ, ac intima communicatio sui ipsius. Cur ergo tu DEO non facis omnia, ut totus DEI sis? cur plurima, quæ facis, aliis donas? cur ad alia, quam ad DEUM extendis desideria tua?

Punct. 3. DEUS est noster consanguinitate: cum enim per communionem hypostaticam naturæ nostræ humanæ se inferuerit, homo est. Nulli Angelorum dixit: Filius meus es tu: id quod tamen homini, qui Christus est, dixit. Vide, ne quid indignum homine admittas, ne quid DEO-Homine. Erubescis aliquid admittere indignum tuâ familiâ, tuo statu &c. cur non & Christo?

## MEDITATIO LXI.

Punct. I. *Qui es in cœlis. Matth. 6. 6.* Patrem habemus in cœlis & patriam, quamdiu extra hanc sumus, obnoxii sumus milleis erroribus & difficultibus. Et tamen valde amamus exilium, ac vix aspiramus ad patriam. Quid nos retinet? nugae sugarum.

Punct. 2. De cœlis nos aspicit DEUS sicut S. Stephanum , pugnantes contra inimicos nostros. Sed quomodo pugnamus? O ! non jaciuntur in nos lapides, sed subinde leve verbum , aspectus inamoenior Superiorum aut sociorum. Pudeat nos , ita molles esse in conspectu Domini !

Punct. 3. DEUS est in cœlis tanquam finis & terminus peregrinationis nostræ. Sed quot vias à dextris & sinistris ingredimur , quæ non directè tendunt ad hunc terminū! extra quem tamen nemo potest esse beatus , & nemo quærerit esse beatus.

## MEDITATIO LXII.

Punct. 1. Sanctificetur nomen tuum.  
Matth. c.6. Sanctificatur nomen Dei nostra sanctitate : Sanctitas enim nostra summa DEI laus est & gloria. Dic , quare sanctus non es ? inter tot auxilia & occasiones sanctitatis ? an non ideo ? quia semper alia magis quæreris.

Punct. 2. Quomodo est possibile , ut homo , D E U M viva fide cognoscens , DEUM ipse non amet , & ab aliis amari non patiatur ? Ah ! qui novit te , Domine ; diligit te , derelinquit se , & amat te plus quam se.

Punct. 3. Qui DEUM viva fide cognoscit , optat , & laborat , ut hunc D E U M omnes ameat & sancti efficiantur. Ferenter itaque , si Deum agnoscis , omnes ho-

homines provoca ad Dominum D E U M  
tuum glorificandum in sanctitate sua ex-  
trinseca. Provoca tuo exemplo , tua  
conversatione , ac variis industriis , qui-  
bus homines avertantur a peccatis , &  
proficiant in virtutibus , & sancti fiant.

## MEDITATIO LXIII.

Punct. I. *Adveniat Regnum tuum.*  
*Matth. c. 6.* Regnum Dei æternum sa-  
tietas perfecta , absentia omnium malo-  
rum , fruitio omnium bonorum est. Quid  
non agimus pro officio , lucro , honore ,  
amore perituro? si eandem pro regno  
æterno diligentiam adhibéremus , omnes  
hujus regni Reges essemus.

Punct. 2. D E U S tantum non obtru-  
dit nobis regnum suum , dum nos allicit  
beneficiis , urget minis , calamitatibus  
compellit. O! terribilem stultitiam no-  
stram ! quâ adhæremus rebus vanissimis ,  
sordidis , & homine intellectum habente  
indignis , & nobilissimum , ac æternum  
regnum dilapidamus.

Punct. 3. *Adveniat Regnum tuum,*  
scilicet in omnes animas nostras! non re-  
gnet in nobis peccatum , sed verus ani-  
marum nostrarum Rex & Dominus re-  
gnet in nobis. Regnabit autem in nobis,  
si cum diligamus ex tota anima.

## MEDITATIO LXIV.

Punct. 1. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* Matth. c. 6. Voluntas DEI in cœlo fit, quia nullum ibi peccatum fit, & nihil à Cœlitibus omittitur, quod sciunt, Dominum Deum suum velle. Eadem ratione voluntas DEI à te in terra fiat. Declina á malo, & voluntatem DEI cognitam nunquam transgredere, inspirantem, admonentem, excitantem.

Punct. 2. *Voluntas DEI in cœlo fit,* quia sine ulla interruptione perpetuò Cœlites occupantur in rebus Domino DEO gratis, & immediatè ad DEI gloriam & gustum spectantibus. An & tu potes dicere: quæ placita sunt ei, facio semper?

Punct. 3. *Beati in cœlo nihil pro se,* nihil pro aliis volunt, nisi quod vult DEUS. Nihil pro se, nihil pro aliis detestant, quod sciunt, Dominum Deum velle, & quidem cum summo gusto. Quid possumus melius velle, quam id, quod vult Summa Providentia, Summa Sapientia, Summa Bonitas, Summa Justitia?

## MEDITATIO LXV.

Punct. 1. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* Matth. c. 6. intelligendo omnia, nobis ad vitam necessaria, per panem, & quidem nostrum,

sive statui nostro convenientem. Contentus vive omni eo, quod dat tibi Pater tuus, & gratias age, multa millia hominum non habent, quae tu.

Punct. 2. Sicut quotidie panem petimus, sic quotidie debemus eum mereri. O quot dies elabuntur, in quibus actiones & labores tui panem non merentur! Modò unum quotidie opus insigne praestares, quo panem naturalem & supernaturalem merereris!

Punct. 3. Petimus pro hodie panem, ut abjiciamus spem vitæ longioris & malam securitatem, aut nimiam sollicitudinem. Ita vivendum est hodie, & rebus utendum, ac si cras essemus morituri. Si hoc cogitaremus, quam à multis abstineremus!

## MEDITATIO LXVI.

Punct. 1. *Et dimitte nobis debitos nostra.* Matth. c. 6. Considera grandia debita vitæ tuæ sæcularis, ac postmodum etiam religiosæ. Revoca & detestare in genere omnia cum vehementi tua confusione, deplora, veniam pete. Quid retribues Domino pro remissione tantorum debitorum?

Punct. 2. Considera specialiter omnes vitæ tuæ religiosæ negligentias, acedias, tædia &c. & erubesce, quod in statu perfectionis & gratiæ vocationis tam im-

perfectè vixeris. Specialibus te D E U S gratiis cumulat, atque ideo deberes etiam specialem industriam adhibere.

Punct. 3. Considera mala, quæ ex neglectis gratiis oriuntur: tibi imprimis subtraxisti magna gratiarum incrementa, proximo magna auxilia, DEO ingens augmentum gloriae. O quid D E U S per te fecisset, si eum tuis pigritiis non impedi-  
visses!

## MEDITATIO LXVII.

Punct. I. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Matth. c. 6.* Indigni sunt, quibus DEUS suas injurias condonet, qui aliis non condonant suas. Quoties illa verba dicunt, toties contra se sententiam ferunt. An putas neminem à te offendit? quomodo speras remissionem, si non das?

Punct. 2. Neque à D E O vindictam pete contra offensorem; nec in animo geras affectum ab eo abhorrentem: hoc enim à D E O & proximo servari cupis erga te. Si in tua plenissima esset potestate, talionem reddere offendenti, non redde, ut sis filius Patris tui, qui pro præsenti justitia tibi veré ignoscit.

Punct. 3. Insuper beneficiis illum affice, qui te offendit. Non nocuit tibi, sed occasionem dedit meriti & humilitatis, & docuit te, ut non faceres alteri, quod

quod ab altero factum te pupugisset. Si-  
milis sis Patri tuo cœlesti, qui pluit super  
bonos & malos.

## MEDITATIO LXVIII.

**Punct. 2.** *Et ne nos inducas in tenta-  
tionem. Matth. c. 6.* Omnes etiam  
minimæ temptationes fugiendæ sunt, quia  
gradum faciunt ad maiores. Cùm igitur  
tecum geras seminarium temptationum,  
roga DEUM, ut te non permittat in il-  
las incidere, in quibus te vincendum præ-  
videt. Nunquam tibi fortis videare, sed  
time.

**Punct. 2.** Constitutus es in medio la-  
queorum, & insuper tam infirmus, ut  
non possis evadere sine speciali DEI be-  
neficio. Ne per unam horam tibi fidito,  
sed semper inclama: DEUS in adjutori-  
um meum intende.

**Punct. 3.** Illæ tamen temptationes pe-  
riculosiores sunt, quibus ipsi damus oc-  
casionem aut moram. In his enim est  
aliqua qualiscunque phantasiæ & men-  
tis adhæsio, quæ facillimè ducit ad com-  
placentiam. Principiis obsta, & qualis  
carbonem ardorem manus inciden-  
tem rejice;

## MEDITATIO LXIX.

Punct. 1. *Sed libera nos à malo.*  
*Matth. c. 6.* Malum malorum omnium  
 est peccatum. Ab hoc tanquam ab  
 aspectu dæmonis fuge. Fugies, si timor  
 & amor DEI in te sint. Noles enim offendere  
 justissimum vindicem, & amantissi-  
 sum patrem. Nemini sine D E O benè  
 est, nemini cum DEO malè.

Punct. 2: Si verè peccatum fugimus,  
 detestabimur etiam omnes peccandi oc-  
 casiones valde allicientes. Qui sibi te-  
 merariè fidunt, cadunt in pœnam super-  
 biæ & nimiæ in vires suas confidentiæ.  
 Humiles eyadunt.

Punct. 3. Non leve etiam malum  
 est malum pœnæ, utpote quæ gravissi-  
 mum alterius vitæ dolorem affert, & à  
 fruitione summi boni differt. Quare dum  
 es in via, expunge debita tua operibus  
 pœnitentiaæ. Una hora in tempore mis-  
 ricordiæ plùs valet uno mense in tem-  
 po re justitiæ.

## MEDITATIO LXX.

Punct. 1. *Beati oculi, qui vident,*  
*quæ vos videtis.* *Luc. cap. 10.* Primò  
 vident oculi nostri florentem statum Ec-  
 clesiæ & nostri Ordinis. Exulta præ gau-  
 dio, & gratulare Divinæ Majestati, &  
 omnia ejus gratiæ tribue; si aliquid de-  
 ficit,

ficit, tui unius culpæ adscribe. Corpus sanctum est, quisque videat, ut membra sint sancta.

Punct. 2. Videmus etiam creaturem, ex amore Dei erga nos conditas, eo fine, ut illis ad nostram utilitatem, necessitatem, imò etiam honestam recreationem utamur, omnia ultimato referentes ad laudem & gloriam D E I. Estne aliqua creatura, quā in Dei offenditionem & contumeliam abuteris?

Punct. 3. Videmus, & legimus variarum virtutum exempla in domesticis, in secularibus, in libris. Suntne hæc tam potentia, ut excitent te ad imitationem? ad accumulandos gratiæ & gloriæ thesauros? an verò præteris, sicut Sacerdos & Levita, quasi non videres? Esto Antonius, qui omnium domesticorum virtutes observabat, & ex illis proficiebat.

## MEDITATIO LXXI.

Punct. 1. *Ora Patrem tuum.* Matt. 6. Multum debemus parentibus, omnia Deo Creatori, Patri nostro, à quo habemus esse, conservari, omnem prudenteriam, paternum amorem, ipsam denique æternam hæreditatem. Sed ora eum, sicut decet filium humilem, reverentem, per omnia obedientem. Talem habebis Patrem, qualis fueris filius.

Punct. 2. Qui Regem amat, & ab illo

lo aliquid sperat, non offendit illius filium. Proximi nostri sunt filii Regis, a quo omnia speramus. Igitur non offendamus, aut odio habeamus ullum hominem; quin imò in reverentiam Patris nos omnes beneficos fratribus etiam minimis exhibeamus; quod enim his fecerimus, accipiet Pater, quasi ipsi fecissetemus.

Punctum 3. Specialem gratitudinem debes Patri tuo cœlesti, qui te sine defectu naturali creavit, ut non esse cœcus, mutus, claudus, fatuus, identidem æger. Eris autem gratus, si haec dona naturalia ad laudem & gloriam Patris tui usurparis; ingratus, si ad vanitatem, petulantiam, peccatum. Quod si defectum habeas, in usum virtutis illum converte.

## MEDITATIO LXXII.

Punct. I. *Ora Patrem. Matth. c. 6.*  
Plurimos habet titulos DEUS, & ex omnibus Christus adhiberi voluit titulum Patris. Quare? quia hoc titulo quasi in memoriam revocamus Patri Filium suum Unigenitum, fratrem nostrum, cuius intuitu nihil negare potest; si tamen aliquid Fili sui in nobis videat.

Punct. 2. Hoc ipso, si DEUM vocamus Patrem, spondemus ei omnem reverentiam, obedientiam, amorem filiale, ne possit nobis objicere: Si Pater ego vester sum, ubi est honor meus? ubi amor?

amor? Ingredere in interiora animæ tux,  
& inquire, an affectu verè filiali agas cum  
DEO tuo?

Punct. 3. Cùm Patri debeatur omne  
studium, ejus existimationem apud om-  
nes promovendi, quæritur, an ejus cau-  
sam apud omnes agas? Forsan tu omni-  
um primus es, qui in suis occupationi-  
bus aliud quæris, quam gloriam Patris?  
forsan plausum, forsan commodum,  
forsan commoditatem, forsan affectum.

## MEDITATIO LXXIII.

Punct. 1. Cùm oraveris, intra in-  
cubiculum tuum. Matth. c. 6. ut nem-  
pe oratio tua sit magis collecta, & ha-  
beas majorem libertatem agendi cum  
DEO tuo; ubi manus erigere, brachia  
extendere, in nuda humo flectere, in su-  
spiria animum laxare absque respede-  
possis. Imò cubiculum tuum est anima  
tua, in quam si sepositis omnibus in-  
traveris, agnosces Majestatem D E I, ad  
quam oras.

Punct. 2. Ostio clauso, Matth. c. 6.  
scilicet sensuum tuorum, qui mille tibi  
evagationes causant. Quare tam negligen-  
ter oramus? quia ostium non claudimus  
negotiis, oculis &c. quia non pensamus  
Majestatem, cui proponimus petitiones  
nostras; quia non audimus allocutiones  
DEI nostri ad cor nostrum; quia absque  
ulla

ulla præparatione accedimus ad negotium sacrosanctum.

Punct. 3. *Ora Patrem tuum.* *Matt. c. 6.* Quomodo orant filii? in primis sperant se esse in gratia patris. Deinde consci sibi sunt, se mandata patris observasse. Insuper petunt aliquid, quod patri displicere non possit. Denique talibus verbis petunt aliquid, quæ amorem & subjectionem spirant. Non omnes sunt filii, qui dicunt: Pater noster.

## MEDITATIO LXXIV.

Punct. 1. *Pater tuus, qui videt in abscondito.* *Matt. c. 6.* Sufficit ingenuo filio, bene agere in oculis patris. Si ergo tu nullam aliam mercedem sperares, & solummodo Dei beneplacatum haberet, aspicientis labore tuum, maximum motivum haberet, perfecte tua faciendi.

Punct. 2. *Pater tuus reddet tibi.* *Matt. c. 6.* Ecce! præter beneplacatum Dei etiam mercedem accipis ab eo, qui infinitos habet thesauros, ita ut maiores & majores gratias possis sperare, quod perfectius in ejus oculis tua facis. Posset D E U S omnia à te exigere ut Dominus, exigit autem ut Pater.

Punct. 3. *Reddet tibi:* *Matt. c. 6.* quasi dicat: Mutuò dantur Domino DEO, quæ

quæ ejus causâ sunt, non perduntur, sed restituuntur, etiam in hac vita vel eadem vel majora. Non igitur simus erga D E U M parci, nobis ipsis majora invidentes.

## MEDITATIO LXXV.

Punct. 1. *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Matth. c. 21. Domus Dei est domus religiosa, in qua deberent audiri gemitus ob peccata in seculo commissa, & pro iis satisfactio præstari, quia est domus pœnitentiæ. Domus Dei est domus dilectorum & domesticorum suorum, in qua ex professione sua omnes deberent ordinatissimè vacare cultui Diviuo, & laborare pro gloria Dei. An non alia se immiscent?

Punct. 2. Plura beneficia accipit Religiosus à Deo, quam Rex in regno: nimis quietem vitae, vacuam à curis, angoribus, timoribus, meliores noctes, dies jucundiores, sanitatem minus perturbatam ab escis & potibus superfluis, immunitatem à rationibus. An agnoscis felicitatem tuam? an illa uteris?

Punct. 3. Longè adhuc majora sunt beneficia supernatura, quæ Religiosus copiosiora & præstantiora accipit. Quæ sunt remotio ab occasionibus peccandi, nisi studiosè quærantur; exempla bona

eorum, quibuscum vivit; occupatio-  
nes religiosæ, quæ omnes ex obedientia  
sunt valde meritoriae; SS. Sacramento-  
rum usus frequentior, & minus impedi-  
tus ac distractus; omne genus gratiarum  
ad officia vocationis. Tota denique vi-  
ta est præparatio ad bonam mortem.  
Hæc tecum gratus recogita.

## MEDITATIO LXXVI.

Punct. 1. *Per totam noctem labo-  
rantes nihil cepimus. Luc. c. 5.* Con-  
sidera internas & externas causas, ob quas  
per tot annos non admodum profecisti.  
Forsitan laborasti in nocte? Dies est animus  
passione vehementi vacuus, nox est ani-  
mi perturbatio per passionem vehemen-  
tem. An in hac nunquam verè vista la-  
boras?

Punct. 2. *In nomine autem tuo la-  
xabo rete. Luc. c. 5.* Benè scis, te  
non posse proficere absque specialibus  
D E I auxiliis. Vide igitur, quid vitan-  
dum, quid faciendum tibi sit, ut hujus-  
modi auxilia merearis. Forsitan non es li-  
beralis erga DEUM?

Punct. 3. *Exi à me Domine, quia  
homo peccator sum. Luc. c. 5.* Si præcla-  
rum aliquid præstitisti, humilia te, nihil tibi,  
sed omnia Deo gratus adscribe. Hoc fa-  
ciendo novam à Deo gratiam accipies, &  
eris instrumentum DEI eò felicius, quod  
fueris

fueris humilius. Si perperam aliquid fecisti, humilia te, & omnia tibi adscribe; quia si quis fuit defectus, ex te fuit.

## MEDITATIO LXXVII.

Punct. 1. *Vade prius reconciliari fratri tuo.* Matth. cap. 5. antequam scilicet offeras munus tuum ad altare. Etiam illi reconciliare, qui habet aliquid adversum te absque ulla tua culpa. Si autem tu offensioni ansam dedisti, longè magis ex justitia & humilitate pacem quære. Animum semper pacatum habe.

Punct. 2. *Non contendet.* Matth. c. 12. De Christo hoc prædictum fuit. Non contendas cum ullo homine, sed in mansuetudine, absque ullo clamore veritatem propone, imò & defende. Quòd si aquieverit pars altera, habes, quòd voluisti. Si pertinaciter restiterit, modestè tace. Vinces gloriösius tacendo, quam contendendo. Noli litigare cum homine existente in passione; quia nihil effici es prudenter cum imprudente.

Punct. 3. *Arundinem quassatam non confringet.* Matth. c. 12. Non addas afflictionem afflito, sed, quantum potes, pressum subleva. Genus crudelitatis est, ruentem protrudere, & omnimodam ejus ruinam quærere. Si vides proximum tuum in angustiis, age Patronum illius, quantum salvâ justitiâ potes.

Hic

Hic possunt incipi Meditationes de  
Passione Domini, & sequentes Meditatio-  
nes usque ad diem Cinerum rejici post  
Pentecosten usque ad Adventum.

## MEDITATIO LXXVIII.

Punct. 1. *Euge in altum.* *Luc. c. 5.*  
à terra scilicet in altum maris. Idem tibi  
imperium dari crede à Christo tendendi ad  
perfectionem, ad hanc ut pertingas, pro-  
cul à terra & terrenorum amore abeas ne-  
cessere est. Forsan raro cogitas, te obligari  
tendere ad perfectionem status tui? forsan  
media directa non adhibes?

Punct. 2. *Laxate retia vestra in ca-  
pturam.* *Luc. c. 5.* Christus vel ma-  
xime à nobis exigit plenitudinem perfe-  
ctionis, ut alios lucrari possimus, si ipsi  
perfecti simus. Domesticos & externos  
verbo & exemplo in rete Christi compel-  
lere obligamur.

Punct. 3. *In nomine autem tuo laxa-  
bo rete.* *Luc. c. 5.* Qui discunt opifi-  
cium, omnes denique sunt magistri artis  
suæ, & magistrale opus faciunt. Quam-  
diu tu jam discis artem serviendi Deo? &  
nondum magister es? quod opus magi-  
strale hactenus fecisti? Forsan in nomine  
Domini non laxasti rete, hoc est, cum per-  
fecta intentione & applicatione?

## MEDITATIO LXXIX.

Punct. 1. *Claritatem ab hominibus non accipio. Joan. c. 5.* Perfecto Christi imitatori necessarium est, hominum favores non querere, aut in actionibus suis eorumdem applausum expectare. Imò si ex bene actis laus sequatur, tota in Deum referenda est, cui soli omnis honor & gloria debetur.

Punct. 2. *Cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. Joan. c. 5.* Quare? quia majorem charitatem & timorem erga homines habes, & Deum offendis, ut hominibus placeas, aut saltem non displices. Dein quia raro aliquid facis, in quo Deo non aliquid surripis, & tuo honori ac commoditati tribuis, id quod non est ex toto corde diligere.

Punct. 3. *Cum turba irruerent in eum. Luc. c. 5.* Scilicet, ut audirent verbum Dei. An hujusmodi affectu ad SS. Eucharistiam accedis? an pari promptitudine ad opera obedientiae accurris? an mane simili alacritate surgis, & ad obsequium Dei te accingis?

## MEDITATIO LXXX.

Punct. 1. *Non possum ego à me ipso facere quidquam. Joan. c. 5.* Hæc dicit Christus de sua humanitate. Hoc considerans

derans descendere in abyssum infirmitatis tuæ. Quid potes à te ipso? nec manum movere, nec cogitare quidquam. Quid ergo in te confidis? laudem ambis? super alios te extollis? Misericordia Dei est, iquid quid boni habes aut facis.

Punct. 2. *Non possum ego à me ipso facere quidquam.* Ibid. Sic deberet dicere quilibet subditus? quidquid enim facit, debet facere juxta voluntatem illius, cui loco Dei subest. A me ipso, idem est, ac juxta meam inclinationem, judicium voluntatem, adinventionem.

Punct. 3. *Non possum ego à me ipso facere quidquam.* Joan. 1. 5. Ex meo sensu neminem possum judicare; ex meo gusto in nullius involare officium; ex meo iudicio non possum examinare, quæ à meis superioribus ordinata sunt, longè minùs improbare, quia jam non sum meus, & iudeo meo cessi.

## MEDITATIO LXXXI.

Punct. 1. *Vos vocatis me magister* Joan. 1. 13. *Sum enim, quia doceo* vos verbo & exempló. Id ipsum facite & vos imitatores mei. Docete verbo, & exemplo, & quod per verbum proficiatis, non destruite exemplo. Omnia ut aures, ita oculi in vos convertuntur, & observant minima, ac quandoque non mala interpretantur pessimè.

Punct.

Punct. 2. Duas lectiones habuit Magister hic: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde:* unam scilicet de mansuetudine & alteram de humilitate. Nempe ut fructuosè agamus inter homines, debemus per mansuetudinem nos in eorum animos insinuare; & ut Deus bemedicat laboribus nostris, debemus per humilitatem Deum nobis benevolum reddere.

Punct. 3. Pro varietate locorum varians docuit Magister iste. In præsepio dedit nobis exempla paupertatis, simplicitatis, tolerantiae incommodorum; in templo fervorem devotionis; in conversatione hominum fanditatem actionum; in prædicatione fidei veritatem; in mensa frugalitatem & ædificationem colloquiorum; in cruce patientiam.

## MEDITATIO LXXXII.

Punct. 1. *In his jacebat multitudo magna languentium.* *Ioan. c. 5.* Languent, qui sua sine spirituali fervore exequuntur, & horum multitudo magna est. Erat inter languentes unus triginta octo annos æger. Numerus annos tuos, & fortè paucos dies veri fervoris invenies in omnibus annis tuis.

Punct. 2. *Cæcorum.* *Ioan. c. 5.* Cœci sunt, qui ita vivunt, quasi non videant, quod melius sit offendere homines, quam Deum; quod magis querenda sint

merita æternæ gloriæ, quām lucra transitoria, quòd optabilius sit, pati exiguo tempore in hac vita, quām diu in altera. Non lunt intelligere, ut bene agant.

Punct. 3. *Clandorum Joan. c. 5.*  
 Claudi sunt, qui claudicant in duas partes. Deo servire se dicunt, & tamen inclinant in res mundanas affectum suum. Quærunt in statu perfectionis suas commoditates, honorum fumos, & quæ sunt seculi propria. Seculum reliquerunt, & Monachum non induerunt.

## MEDITATIO LXXXIII.

Punct. 1. *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Phariseorum. Matth. c. 5.* Scilicet jejuniis, orationibus, & observationi legis deditorum. Perpende, ant tua justitia abundet plus quam bonorum secularium? Suis isti utuntur occasionibus ad bonum, quonodo tu tuis?

Punct. 2. Carpis in secularibus impatientiam, iram, confusam vivendi rationem, in terrena immersionem. Tu in ordine es, & quām accuratè vivendi ordinem servas? An non levissimæ causæ non causæ ordinem invertunt, ut tædio somnolentiæ, aut gustui satisficias. Justitia tua debet esse religiosa, ergo major justitiâ secularium.

Punct. 3. Detestaris in secularibus politicas

ticam agendi rationem, Pharisaicam devotionem, verborum astutiam, Dei & rerum spiritualium incuriam &c. &bene: sed cor tuum ingredere, & divino judicio ibi te siste, forsan similia audies, quæ detesteris in Religioso.

## MEDITATIO LXXXIV.

Punct. 1. *Et erat subditus illis. Luc.*  
 6. 2. Quid Christus egerit ab anno duodecimo usque ad trigesimum nullus Evangelista prodit. Stupenda Filii Dei occultatio. Quām procul absimus ab isto latendi desiderio? imò longè plura de nobis propalamus, quām fecerimus.

Punct. 2. Christus fabrilia tractat, quid vilius? Erubescat Religiosus, quem pudet sui ab obedientia injuncti muneris! Quasi verò officia quemquam magnum faciant apud Deum, & non magis humilitas & obedientia!

Punct. 3. Humana natura in Christo potuisse esse subdita Matri; quia tamen erat elevata ad hypostasin Verbi, nullo modo subdebatur Matri ob infinitam superexcellentiam Personæ; tamen Christus dicitur ab Evangelista subditus Matri & Nutritio, exequendo instar aliorum filiorum mandata Matris ac Nutriti. O abyssum humiliationis! O stupendum obedientiæ exemplum! Quid verecundatur homo subesse homini propter Deum, si Deus voluit esse subditus hominibus?

## MEDITATIO LXXXV.

Punct. 1. *Venite post me. Matth. c. 4.*  
**I**nveniemus hominem ideo ad imaginem  
 Dei conditum, ut imitator sui esset Aucto-  
 ris. Et hæc est naturalis generis nostri di-  
 gnitas, si in nobis, quasi in quodam speculo,  
 Divinæ benignitatis forma resplendeat.  
**S.** Leo Serm. 1. de Jejunio. Non igitur  
 degeneremus à præcelfis cogitationibus  
 creationis nostræ.

Punct. 2. *Beati pauperes spiritu.*  
**M**atth. c. 5. Resplendeat in nobis exi-  
 nanitio omnium desideriorum ad res mun-  
 danas. Beati mites! Vincantur omnes ex-  
 surgentes motus iræ & impatientiæ. An-  
 imus noster sit similis statui mundi supra-  
 lunari; semper illic serenum est.

Punct. 3. *Beati, qui lugent.* Matth.  
 c. 5. Christus flevit peccata nostra, &  
 nos non? Nimirum Christus agnovit mala  
 peccatorum nostrorum; nos autem pec-  
 camus, incurii, quid sit peccatum, & quid  
 post se trahat. Beatus eris, si lugeas pec-  
 cata tua præterita; infelix, si peccatorum  
 commissorum memor denuo delectaris.

## MEDITATIO LXXXVI.

Punct. 1. *Venite post me. Matth. c. 4.*  
**E**go vester dux ero, & monstrabo viam  
 meo exemplo. Meus labor erit & vester  
 labor. Si ergo ego Dominus & Magister  
 vester

vester ambulavero] per aspera', venite post me, & intrate in vestigia mea. Si ego porto crucem à Patre meo mihi præparatam, cur tergiversamini portare vestram ab eodem Patre vobis impositam?

Punct. 2. *Faciam vos fieri pescatores hominum.* Matth. c. 4. Sicut ego propter vos homines, & propter vestram salutem descendit de cœlis, sic etiam vos idem negotium promovete per vestram ac aliorum salutem, nullum horrentes laborem, etiamsi vos oporteret descendere de cœlo imaginariæ felicitatis vestræ & quietis.

Punct. 3. *Hil continuò relictis retibus secuti sunt eum.* Matth. c. 4. Quod in obsequio Dei facis, fac citò, & cum gaudio: hilarem enim datorem dilit Deus. Ketia, quæ tibi tenduntur in sequela Christi, perrumppe. Forsan uno teneris funiculo aut filo, quod te impedit à fervore? rumpe, & curre.

## MEDITATIO LXXXVII.

Punct. I. *Vade post me Sathanas!* scandalum es mihi, quia non sapis quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. Matth. c. 16. Dehortabatur nimis Christum Petrus à passione & morte ignominiosa, quam tamen Christus amore nostri affectabat. Nos sapimus ea, quæ he-  
D ; mi-

minum sunt, dum procul ab omni afflitione abesse volumus. An unquam aliquid sine renisu passus es?

Punct. 2. *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?*

*Matth. c. 16.* Tu tuum sis omnium primum lucrum. Cætera omnia, te neglecto, quid proderunt? Omnia si perdas, animam servare memento. Animam aut immortaliter felicem, aut immortaliter infelicem fore credis?

Punct. 3. *Quam dabit homo communicationem pro anima sua?* *Matth. c. 16.* Nihil ita charum tibi sit ac anima tua. Illud autem, quod est charissimum, omni possibili custodia in tuto collocatur. O quot alia negotia præponis negotio animæ tuæ? Longè studiosiorem curam habes sanitatis, honoris, cibi ac potūs, quam animæ tuæ.

## MEDITATIO LXXXVIII.

Punct. 1. *Domine bonum est, nos habere.* *Matth. c. 17.* Dedit Christus suis tribus intimis amicis aliquem prægustum vitæ beatæ in monte Thabor, ut in futuris afflictionibus se possent solari spe futurorum bonorum. Quidquid in mundo est vel dulce, vel amarum, non est æternum, quod autem pro parvo labore & brevi dolore speramus, æternum est.

Punct.

Punct. 2. *Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliae unum.* Matth. c. 17. Libenter hic Petrus mansisset; Christus autem statim incepit loqui de Passione sua, innuens, ad dulcia neminem admissum iri, qui non amara prius degustasset, Velles esse in pace sine bello; in virtute sine exercitio; in gaudio sine luctu; in cœlo sine merito.

Punct. 3. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mibi bene complacui: ipsum audite.* Matth. c. 17. Posséntne Deus id ipsum de te dicere? si non; certè non aliam ob causam, quām quia Filium non audis, dicentem, sequere me, in montem scilicet excelsum, ubi omnia transitoria possis despicer.

## MEDITATIO LXXXIX.

Punct. I. *Quis, putas, major est in regno cœlorum?* Matth. c. 18. Respondit Christus: Quicunque humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. Quomodo autem se humiliant parvuli? Obediunt simpliciter, dolum nesciunt, nemini invident, parentum providentiâ contenti sunt.

Punct. 2. *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis.* Matth. c. 18. Quid est contemnere, quām illorum curam negligere; in sublimibus ambulare; pau-

pertatem, deformitatem, ruditatem illorum despicere; pauperulos scandalizare, affectu manifesto in bene vestitos & formosulos ostendo; solos tibi benevolos colere.

Punct. 3. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei. Matth. c. 18.* Angelis perinde est, quem clientem habeant, pauperem an divitem, nobilem an ignobilem, pulchrum an deformem &c. omnium æqualem curam habent, modò exequantur voluntatem Dei. Et quia omnia vident in Deo, vehementer accusant eos, qui suos clientes non curant, contemnunt, scandalizant.

## MEDITATIO XC.

Punct. 1. *Domine, quoties in me peccabit frater meus, & dimittam ei? Matth. c. 18.*

Quoties peccasti in Deum tuum, & dimisit tibi? usque septies? ah! ultra septuages septies. Jam igitur non interroga, quoties debeas ignoscere fratri tuo? Quām magna sunt peccata nostra in Deum nostrum! quām parva fratum nostrorum in nos?

Punct. 2. *Oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta. Matth. c. 18.*

Quanta debita! an non putas tu esse majora? Dixisti ad Deum: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Habuit Non-

Nónne ergo oportet & te misereri conser-  
vi tui? O si Deus nobiscum ageret, uti nos  
agimus cum proximis nostris, ubi esse-  
mus?

Punct. 3. Sic & Pater natus cœlestis  
faciet vobis, si non remiseritis unusquis-  
que fratri suo de cordibus vestris. Matth.  
c. 18. Bene expende verba: de cordi-  
bus vestris. An non in corde tuo remanet  
tristis memoria injuriæ fratris tui? Si Deus  
sic ageret tecum? pauci sunt, qui post of-  
fensam ex toto reconciliantur.

## MEDITATIO XCI.

Punct. 1. Ecce nos reliquimus omnia,  
& secuti sumus te. Matth. c. 19. Dic  
id ipsum, si potes. Non autem sufficiet,  
reliquisse omnia corpore, sed etiam affe-  
ctu, ut nihil in te habeat mundus, quod  
suum possit dicere; ut nihil in te inveniat  
Christus, quod suum non est.

Punct. 2. Centuplum accipiet, &  
vitam æternam possidebit. Matth. c. 19.  
Felix commutatio! Centuplum in hac vi-  
ta, omnia in altera: pro curis seculi tran-  
quillitatem animi, pro bonis certò peritu-  
ris æternū duratura, pro labore mo-  
dico sempiternam quietem dabit Chri-  
stus imitatoribus suis.

Punct. 3. Multi autem erunt primi  
novissimi, & novissimi primi. Matth. c. 19.

In hac vita pauperrimi , in altera ditissimi ;  
 in hac vita despicatissimi , in altera hono-  
 ratissimi erunt. Non invideas mundo  
 suas delicias ! Una hora in Dei servitio ma-  
 jorem affert consolationem , quam annua  
 mundi gaudia in mancipatu diaboli . Illi ,  
 quos in hoc mundo non aspeximus , erunt  
 super capita nostra.

## MEDITATIO XCII.

Punct. 1. *Quid hic statis tota die  
 otiosi ? Matth. c. 20.* An hoc idem Chri-  
 stus non posset te interrogare ? Quid re-  
 sponderes de hoc vel illo die ? An non  
 plurimi dies tibi effluxerunt , in quibus ni-  
 hil dignum memoratu egisti ? in quibus  
 nec panem meritus es , quem Fundatores  
 tibi procurarunt ? Exhibe merita tua !

Punct. 2. *Dicunt ei , quia nemo nos  
 conduxit. Matth. c. 20.* An non Deus  
 te conduxit , quando te vocavit ? quando  
 in familia sua munus imposuit ? Ad otium ,  
 ad somnum , ad discursandum ; ad hoc ,  
 quod agis , te planè non conduxit . Cer-  
 té aliud agis , quam agere deberes .

Punct. 3. *Voca operarios , & redde il-  
 lis mercedem. Matth. c. 20.* Quam  
 mercede in sperare potes ex tuo labore ?  
 Forsan non propter Deum , forsan negligen-  
 ter , & ex consuetudine , respectu humano-  
 vanâ gloriâ &c. laboras , & cum tempo-  
 re nihil invenies in manibus tuis .

## MEDITATIO XCIII.

Punct. I. *Videns fici arborem securus viam, venit ad eam, & nihil invenit in ea, nisi folia tantum.* Matth. c. 21. Fuit hæc ficus securus viam anima scilicet, non radicata in via vocationis suæ, non attrahens succum ex terra sancta status sui. Protulit folia, speciem Religiosi; non autem fructus dignos religiosi horti sui.

Punct. 2. *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuò ferculnea.* Matth. c. 21. Animæ à Deo de relictæ symbolum, quia otiosæ. Si civis, si agricola habuisset hæc media, occasionses, gratias, quid fecissent certè longè plus, quam tu.

Punct. 3. *Quomodo continuò aruit?* Matth. c. 21. Quamprimum exarescit influxus specialis Divinæ gratiæ, redit homo ad corruptionem naturæ perversæ, & in omne genus malitiæ desciscit, quæ est mors animæ spiritualis. Si mori non vis & exarescere, utere gratiâ, quæ venit, & non redit. Attrahe succum vivificum diligentia spiritualis.

# MEDITATIONES

De Passione Domini

*A Die Cinerum usque ad  
Pascha & omnibus Feriis Sextis  
per annum.*

## MEDITATIO XCIV.

Punct. 1. *Christus, cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Ioan. c. 13.* In finem, id est, usque ad mortem, usque ad culmen perfectissimi amoris, usque ad communicacionem totius sui esse in institutione SS. Sacramenti, constanter, non obstantibus quibuscunque eorum defectibus, adhortando illos & inflammando ad perfectum Dei amorem, ut & ipsi pervenirent ad finem creationis suæ.

Punct. 2. *Non perdidii ex eis quemquam. Ioan. c. 18.* Ait Christus de suis dilectis. An illi, quos amasti, ex amore tuo facti sunt meliores? An aliud amasti in illis, quam quod amare poteras & debebas propter Deum? Amare est bene velle & facere, cùm possis, ad finem sanctum.

Punct. 3. *Erat recumbens unus e disci-*

discipulis ejus in persona Iesu, quem dili-  
gebat Jesus. *Ioan. c. 13.* Quām ama-  
bilem accessum habet ad cor Jesu innocen-  
tia, virginitas, sincerus amor? Cūm nul-  
lus Apostolorum præsumeret interrogare  
Christum de proditore, Joannes interroga-  
vit & elicuit. Nihil ita afficit cor Dei, quām  
sinceritas in agendo.

## MEDITATIO XCV.

Punct. 1. *Si ergo ego lavi pedes ve-  
stros Dominus & Magister, & vos de-  
betis alter alterius lavare pedes. Joan.  
c. 13.* Christus accidit ad Iudæ, Petri,  
& aliorum discipulorum pedes. Scivit,  
unum proditurum, alterum negaturum,  
Omnes fugituros. Fecit tamen. Quomodo  
tu poteris aliquem excludere à charitate  
tua, qui non inspicis aliorum corda, &  
fortè non tam graviter es offensus.

Punct. 2. Quid est lavare pedes, nisi  
mundare à sordibus animum? Quare si cor-  
rigis alterum, id age, sicut Christus, cum  
charitate velut aquâ calidâ; cum humili-  
tate, verbis fastum aut contemptum non  
spirantibus; infixo pedibus oculo, sem  
aliquo lenimine & auxilio.

Punct. 3. *Si non lavero te non habebis  
partem in me; hoc est, si non vis pati admo-  
nitionem correctionem &c. quomodo eris  
membrum Christi? quomodo habebis par-*

tem in illo? Multi in te multa vident, quæ tu amore tui excœcatus non vides. Beneficium tibi exhiberi crede, quando alii te volunt facere meliorem. Christus castigat omnem filium, quem recipit, vel per se, vel per suos.

## MEDITATIO XCVI.

Punct. 1. *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.* *Joan. c. 13.* Scilicet, quod non sit major Domino suo servus; adeoque omnes (exemplum Christi sequentes) omnibus, etiam minimis omnem charitatem exhibeatis, sicut videtis, me vobis exhibuisse, lavando vestros pedes. Non autem sufficit hæc scire, quod facile est, sed opere implere, quod pluribus difficillimum accidit.

Punct. 2. *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum.* *Joan. c. 13.* Optimi nostri amici, discipuli, filii, quibus omnem charitatem exhibuimus, totum cor credidimus, omnem laborem diu noctuque impendimus, insurgent in nos velut Judas, & erunt omnium ingratissimi & malitiosissimi.

Punct. 3. *Post buccellam introivit in eum Satanás.* *Joan. c. 13.* Primus indignè communicans Judas factus est manipulum & instrumentum diaboli ad gravissimum peccatum proditionis Filii Dei. Christus ipse SS. Sacramentum dedit proditori

ditori suo, ut saltem protunc tegeret sce-  
us ejus occultum. Quam delicatè tra-  
stanta est fama proximi nostri!

## MEDITATIO XCVII.

Punct. 1. *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Matth. c. 26. Firmorem omnibus Apostolis se credidit Petrus, & omnium timidissimè se gessit. Non præferas te vel uni. Præsumptio de viribus propriis proxima est lapsui: deponit enim Deus potentes de sede, & exaltat humiles, ut videat mundus, quid Deus faciat, quid homo.

Punct. 2. *Etiam si oportuerit memori tecum, non tenegabo.* Matth. c. 26. Mors remota non habet vultum tam formidabilem sicut propinqua. Extra periculum & ad Oratorium fortissimi sumus, in periculo ad ruborem debiles. In fervore promittimus maxima, nobis ipsis reliqui facimus nihil.

Punct. 3. *Similiter & omnes discipuli dixerunt.* Matth. c. 26. Nullus volebat in fide minor esse Petro. & paulò post omnes reliquo Christo fugerunt. Non possumus nobis fidere vel in sequentem horam. Descende in abyssum infirmitatis tuæ, & nemini minus crede, quam tibi ipsi. Nisi manus Domini tenuerit te,

non

non est peccatum , quod fecit ullus ho-  
mo , quod tu non faceres.

## MEDITATIO XCVIII.

Punct. 1. *Tunc abiit unus de duo-  
decim. Matth. c. 26.* Quis crederet,  
quod unus de duodecim , unus ex Schola  
Christi, unus electus ad Apostolatum, unus,  
qui tam sancta vidi, tam sancta audivit,  
iturus esset ad Christum hostibus suis ven-  
dendum ? Quis crederet de Christiano, Re-  
ligioso, Sacerdote tantam ingratitudinem  
pro beneficiis ?

Punct. 2. *Quid vultis mihi dare, &  
ego vobis eum tradam ? Matth. c. 26.*  
Et tibi quanto pretio venalis est Christus? an  
ullum potest esse competens ? O stultitia  
omnium maxima, dare Christum , & ejus  
amicitiam , ac hereditatem pro re tam vi-  
li , quale est tuum peccatum !

Punct. 3. *At illi constituerunt ei tri-  
ginta argenteos. Matth. c. 26.* Quāni  
gravis hæc Judæ fuit pecunia ! Ferre eam  
amplius non potuit, sed retulit, & projecit  
ante Sacerdotes. Gravior adhuc erat ei in  
conscientia , ita ut abiret , & suspende-  
ret se. Malum & amarum est , reliquie  
te Dominum Deum tuum per omne pec-  
catum , & non esse timorem Dei apud te.

## MEDITATIO XCIX.

Punct. 1. *Quid vultis mibi dare?*

*Matth. c. 26.* Christum non plus aestimabat Judas, quam pretio triginta argenteorum vendibilem. Ex hoc patet, in quo pretio sit apud plurimos Deus, gratia, coelum, illo nempe, quod affert peccatum, una cogitatio, una brevis voluptas.

Punct. 2. *Ipse est, tenete eum.* *Matth. c. 26.* Traditio haec non fuit peccatum fragilitatis, sed meditatæ malitiæ, ad quam executioni dandam etiam dux fuit. Hoc genus peccati non ita facilè remittitur. & insuper est grave scandalum, adducens etiam alios ad peccatum. An omnia tua fragilitatis sunt?

Punct. 3. *Ave Rabbi.* *Matth. c. 26.* Haud dubiè Judas credidit, posse se Christum decipere, posse se latere. Quid nos credimus: Deóne præsente peccamus? conscio? & tamen peccamus? Tibi soli peccavi, & malum coram te feci! Ah! coram te non debuissèm facere!

## MEDITATIO C.

Punct. 1. *Egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum.* *Luc. c. 22.*

Bene sciens, se in hoc monte traditumiri; ivit tamen, & sponte leobtulit ad passionem suam. Quæ facimus pro Deo, libenter, & cum gaudio faciamus, sine

sine timore, sine respectu, etiam facturi, si nemo nos videret, ut soli Deo placeamus.

Punct. 2. Secuti sunt autem illum & discipuli. *Luc. c. 22.* Judâ excepto, quem tædebat vivere cum Christo, & esse nolebat inter bonos. Similes ei sunt, qui horrent spiritualia, recollectionem sui, conjunctionem cum Deo, de die in diem magis evanescunt, & denique cadunt.

Punct. 3. Assumpto Petro & duobus filiis Zebedæi. *Matth. c. 26.* Hos tres sibi voluit esse propinquos in sua tristitia & agonia, in signum specialis amoris, quasi participes suæ passionis. Qui Christo esse in amoribus volunt, appropinquent ei multa cum & pro ipso patiendo. Tu velles semper esse in monte Thabor, esto & cum ipso in monte Oliveti.

## MEDITATIO CI.

Punct. 1. Procidit in faciem suam orans. *Matth. c. 26.* Oratione incipiebat Christus Passionem suam, & grande opus redemptionis humanæ. Quoties magnum aliquid agrederis, antequam os Domini interroges & cum tamen scias, nihil te posse absque speciali Dei auxilio. Ora, humilia te, nihil tuum agnoscere &c.

Punct. 2. *Pater mihi! si possibile est,*  
*transeat a me calix iste.* Matth. c. 26.  
 Hanc orationem instituit Christus in summis angustiis. Discamus, non melancho-  
 liæ nos tradere, non circumcursare inter  
 acerbas querelas, non quærere diversio-  
 nes vanitatum; sed prima nostra instan-  
 tia sit apud Deum.

Punct. 3. *Veruntamen non sicut ego  
 volo, sed sicut tu.* Matth. c. 26. Jux-  
 ta naturam orat, ut transeat calix, jux-  
 ta spiritum se perfectissimè resignat. No-  
 li tristari, si etiamnum sentias gravitatem,  
 non enim lapis es; sed spiritu vince. Non  
 prohiberis pro avertendis afflictionibus  
 orare, modò ores cum omnimoda resi-  
 gnatione, ad utrumque paratus.

## MEDITATIO CII.

Punct. 1. *Tristis est anima mea us-  
 que ad mortem.* Matth. c. 26. Spon-  
 te admisit hanc tristitiam gravissimam,  
 prævidens omnia, quæ passurus erat, &  
 simul omnium hominum peccata, & in-  
 ter hæc etiam tua. Non expectavit amor  
 tortores, ipse se obrui passus est affecti-  
 one homini gravissimâ, tristitiâ. Disce  
 te ipsum ferre, & in obsequio DEI du-  
 rare.

Punct. 2. *Cœpit pavere & tædere.*  
 Marc. cap. 14. Pertulit in corpore &  
 ani-

anima has summas angustias ex obedientia erga Patrem, & amore erga homines, & positus in agonia prolixius orabat. Non idem semper gustus est in DEI servitio, non eadem corporis & animae constitutio; perseverandum est tamen, & nihil ex propositis intermittendum.

Punct. 3. *Factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis. Luc. c. 22.* Nolidum usque ad sanguinem restitimus in tentationibus, & debellatione affectuum nostrorum. Sudavit Christus sanguinem pro peccatis nostris, tam erant gravia. An tu lacrymas pro tuis?

### MEDITATIO CIII.

Punct. 1. *Simon dormis? non potuisti unâ horâ vigilare? Marc. c. 14.* O quam hic Petrus poterat agnoscere debilitatem suam post tam fervidam, & presumptuosam promissionem! O quam & nos causas erubescendi habemus post tot nostra proposita! In spiritu & ferve proponimus, à carne constantiam expugnari permittimus.

Punct. 2. *Vigilate & orate, ut non intretis in temptationem. Marc. cap. 14.* Cum ab internis & externis hostibus impugnemur, nunquam securitatem nobis promittamus, neque in precedentibus meritis confidamus, nec temerariè periculis

Iis nos committamus. Vigilandum est ad cautelam, orandum ad impetrandum auxilium, ut, quod caro refugit, vigi-  
lando & orando nobis facile reddatur.

Punct. 3. *Spiritus quidem prom-  
ptus est, caro autem infirma.* Mare. c.

14. Extra occasiones leones sumus, in oratione exardescimus, in unctione sa-  
cra omnia nobis facilia sunt, credimus  
nos habere omnes virtutes, quas legi-  
mus: quoniam primum ille impetus spiri-  
tus deferuit, & nos nobis relinquimur,  
ut lepores trepidamus, fugimus, defici-  
mus.

## MEDITATIO CIV.

Punct. 1. *Ecce appropinquavit ho-  
ra, & Filius hominis tradetur in ma-  
nus peccatorum.* Matth. c. 26. Ora-  
tione facta, & præcepto Æterni Patris ac-  
ceptato hostibus suis Christus obviam  
prodiit. Re cum Domino transacta ani-  
mosè surge ad executionem, in qua so-  
la totum est positum. In ipsa executio-  
ne senties difficultatem. Generosè vince.

Punct. 2. *Quemcumque osculatus  
fuero, ipse est, tenete eum.* Matth. c.  
26. Osculum datur in signum amicitiae  
Christo, hostibus in signum traditionis.  
O amicitiam Machiavellicam! O perfidi-  
am diabolicam! Quid si etiam tu sœpius  
datam

datam fidem fregisses ? promissa Deo facta violasses ? verbo amicum, facto hostem egisses ?

Punct. 3. *Ave Rabbi ! & osculatus est eum.* Matth. c. 26. Quantus dolor in corde Christi fuerit ex impurissimo hoc osculo , melius cogitari quam verbis exprimi potest. Os bilingue detestor, ait Spiritus Sanctus. Bilingue omnino ; aliud erga Christum , aliud erga hostes Christi. Idem faciunt , qui DEUM labiis honorant , cor autem eorum longe est ab ipso. Volunt videri boni ab hominibus , DEUM non curant ; aut non ita , ut videri volunt , colunt.

## MEDITATIO CV.

Punct. 1. *Amice ad quid venisti ?*

Matth. c. 26. Amice simulate, Deum decipies ? Tradi , vinciri , duci se patitur Filius Dei ad tempus : sed idem erit tuus Judex , qui novit abscondita cordis , & politicum hunc tuum modum agendi toti mundo manif stabit. Si cum ullo , certè cum D E O sincerè est agendum , DEUS non irridetur.

Punct. 2. *Osculo Filium hominis tradis ?* Lnc. cap. 22. Summè dolent perfidiæ post summa beneficia. Quid non fecit CHRISTUS Judæ ? Quid non fecit tibi ? Bene Propheta Psalmo 54. Si inimicus meus maledixisset mihi , iusti-

nuissim utique , & si is , qui oderat me ,  
super me magna locutus fuisset , abscon-  
dissim me forsitan ab eo . Tu verò ho-  
mo unanimis &c. Etiam ad hoc te para,  
ut patiaris ab amico .

Punct. 3. *Si ergo me queritis , fini-  
te hos abire. Joan. c. 18.* Etiam in vio-  
lenta sui aggressione , & captivazione  
non obliviscitur discipulorum suorum .  
O verè bonum amicum & fidelem ! Chri-  
stus nunquam nos deseret , etiamsi totus  
mundus nos deserat , si eum non priùs  
deseruerimus . Quàm leves ob causas in-  
ter nos amicitia dissolvitur !

## MEDITATIO CVI.

Punct. 1. *Tunc accesserunt , & ma-  
nus injecerunt in eum & tenuerunt.*  
*Matt. c. 26.* Quâ insolentiâ ipsum  
invaserint , facile est cogitare . Permisit  
se ligari Omnipotentia . Ligamur & nos  
funiculis Charitatis , Providentiae , Obe-  
dientiae : sed ligarisne juxta appetitu-  
tuum ? an funiculos tibi feligis ? an rum-  
pis ?

Punct. 2. *Tenuerunt enim. Matth.  
cap. 26.* Crediderunt Judæi , se eum  
suâ astutiâ cepisse . Id ipsum credunt  
quàm plurimi , qui secundum desideria  
cordis sui omnia audent ; qui DEO ma-  
nus ligant suâ acediâ aut ingratitudine ,  
ut

ut eis porrò sua dona elargiri non possit; qui D E U M volunt cogerei, ut faciat, quod volunt.

Punct. 3. *Converte gladium in locum suum. Matth. c. 26.* Credimus, nos abstinere non posse à nostri defensione, quando innocentes sumus; Christus autem non tantum non defendit se, sed insuper defendantem se corripuit, & offendenti se benefecit, restituendo auriculam. Aude aliquid generose Christi imitator, & benefac malefacenti.

## MEDITATIO CVII.

Punct. 1. *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. Matth. c. 26.* Idem facimus nos. Quamdiu nobis cum Christo in ejus servitio bene est, sequimur illum. In solitudine, in derelictione, in contemptu, irrisione fugimus ad solitudo mundana, convertimur ad vanam quandoque peccaminosa gaudia. Rarus est, qui gratis D E O serviat, qui constanter.

Punct. 1. *Relicto eo. Matth. c. 26.* Indurati deserunt Christum pro semper ut Judas. Graves peccatores se quuntur à longè, ut Petrus, & convertuntur. Imperfecti nunquam Christum ex oculis suis amittunt, ut Joannes, citò se recolligunt, & ad usque crucem accedunt.

accēdunt. Perfecti nunquam à Christi latere discedunt usque ad mortem sicut Mater dolorosa. Ex quorum classe tu es?

Punct. 3. *Petrus sequebatur eum à longè.* Matth. c. 26. Tepidi non volunt Christum omnino deserere, neque etiam volunt prope accedere, & sic cum Petro incident in graves tentationes, in quibus sæpe cadunt. Sicut cum D E O agimus, ita agit DEUS nobiscum. Si parcè seminamus, parcè metimus.

## MEDITATIO CVIII.

Punct. 1. *Conversus Dominus reflexit Petrum.* Luc. c. 22. O aspectum omni sagitta penetrantiorē in cor Petri! quasi diceret: Petre non nōsti me? non sum amplius Christus Filius D E I vivi? Conversus & tu respice Crucifixum. Quid dices tibi? non agnoscis me? non agnoscis amorem meum? hoc & hoc retribus amori meo?

Punct. 2. *Respexit Petrum.* Luc. cap. 22. O aspectum gratiosum! amorous! misericordissimum! quasi diceret: Petre revertere ad me! Petre avelle te à malis! Petre desce peccatum tuum! O quoties te respexit benignissimus DEUS post peccatum, & invitavit ad pœnitentiam?

Punct. 3. *Egressus Petrus foras flevit amare. Luc. cap. 22.* Recordatio verborum Christi, aspectus Christi, amor Christi, perfidia erga Christum obruebant cor Petri, & ita angustiabant, ut à malis abiret, & in amarissimas lacrymas solveretur. Peccasti cum Petro: flevisti cum Petro? Recordare amoris Christi.

## MEDITATIO CIX.

Punct. 1. *Tanquam ad latronem exi-  
psis: Luc. c. 22.* Res stupenda! Ex omnibus, quibus benefecit Christus, nullus auxiliarem manum præbet, nullus pro eo verbum loquitur, omnes timebant in suspicionem venire habitæ cum Christo communicationis. Forsan idem experiris? Noli contristari! Christus sufficiebat sibi ad resurrectionem, sufficiet tibi ad defensionem.

Punct. 2. *Adduxerunt eum ad An-  
nam primum. Ioan. c. 8.* Quem sciebant esse Caiphæ amicum. Si quando vides inimicos tuos integrum catenam, crudere contra te, alios extimulare, risum ex te facere, Christum cogita circumductum ad omnes inimicos suos, tangentem, & omnes nequicias eorum perferentem.

Punct. 3. *Duxerunt ad Caipham  
Prin-*

*Principem Sacerdotum. Matth. cap. 26.*  
 Cogita ministrorum petulantiam erga Christum, Judicum malitiam, Phariseorum malignitatem, totius populi perveritatem. Considera Christi obedientiam. An ita voluit DEUS Pater? permisit. Fortè tecum agitur indiscretè, injustè, etiam à Superioribus? ita DEUS permettit ex causis altissimis.

## MEDITATIO CX.

Punct. 1. *Unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu. Ioan. cap. 18.*  
 Hanc alapam dedit servus, ut placeret Domino. Hanc alapam dant Christiani, qui ex respectu humano probant facta malorum, & Religiosi ex spe favoris aut munieris ad errata sibi commissorum, & Superiores ex inepto amore ad defectus charorum.

Punct. 2. *Ego palam locutus sum mundo. Ioan. c. 18.* Sic loquendum, sic vivendum est, ut nullius conspectum refugias, aut erubescas. Nulli plus fidas, quam si ex amico inimicus fuerit factus, fateri non timeas. De nullo absente loquere, quod præsente non auderes. Veritas & sinceritas publicum non timent.

Punct. 3. *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem*

*benè, quid me cedis?* *Ioan. c. 18.* No-  
lebat Christus præsentes credere, se ali-  
quid contra authòritatem Pontificis locu-  
tum fuisse, & ideo non siluit. Disce re-  
vereri magistratus. Deinde exemplum  
dedit accusatis, quomodo se justè & cum  
veritate tueri possint sine jactura mansue-  
tudinis.

## MEDITATIO CXI.

Punct. 1. *Pænitentiâ dñi Elie retulit  
triginta argenteos.* *Matth. c. 27.* Pec-  
catum, antequam committitur, se mirè  
palliat, nihil est; Postquam commissum  
est, apertè furit in conscientia, & cla-  
mat: quid fecisti! Cum gaudio accepit  
Judas triginta argenteos, cum despera-  
tione iterum projectit. Sic omne gaudi-  
um cum peccato.

Punct. 2. *Quid ad nos? tu videris.*  
*Matth. c. 27.* Hic est genius mundi,  
quasi diceret: Nos tibi dedimus omnem  
occasione ad malum, tu videris, quid  
sit secuturum. Christus contrà stat in  
veritate, qui eum sequitur, habet con-  
stanter bonum. Hic est genius Politico-  
rum; utuntur sibi devotis, dum ad finem  
suum serviant, & dein turpiter & perfi-  
dè deserunt.

Punct. 3, *Et abiens laqueo se suspen-  
dit.* *Matth. cap. 27.* Perdidit Judas  
cru-

crudelis suæ proditionis usque ad desperationem. Agnoscunt multi statum suum malum , sed , quid sed ? nolunt fructus dignos pœnitentiæ facere , nolunt à male cœptis desistere , nolunt naturæ vim inferre , nolunt ad fervorem, unicum remedium , exsurgere.

## MEDITATIO CXII.

Punct. 1. *Quid ad nos ? tu videris.*  
**Matth. c. 27.** Sic faciunt filii hujus seculi. Iliis, quos perdiderunt, insultant, & sic ostendunt , amicitiam suam non esse secundum DEUM. Quem fructum habebis ex omnibus , quorum Deus firis non est ? Omnis plantatio , quam non plantavit Pater meus, eradicabitur. Passio tua dux fuit tuus ; sed coœcuss.

Punct. 2. *Abiens laqueo se suspen dit.* **Matth. c. 27.** Judicia DEI abys sus multa ! Petrum gravissimè peccatum respexit Deus , Judam ad laqueum ire permisit. Quot sunt, qui minus peccaverunt, quàm tu ? & in inferno sedentes Tibi verò pœnitentiæ tempus & gratiam copiosam dedit.

Punct. 3. *Non licet eos mittere in carbonam , quia pretium sanguinis est.*  
**Matth. c. 27.** O scrupulum detestabilem ! Pecuniam horrent recipere , non autem Christum occidere. Muscas capi-

mus, levissimos defectus; leones & lupos, peccata gravia, liberos dimittimus. Videri coram hominibus mali nolumus, non coram DEO.

## MEDITATIO CXIII.

**Punct. I.** *Iesus autem stetit ante Praesidem. Matth. cap. 27.* Sedentem scilicet, & catenis ligatus. Sanctitas, Omnipotentia, Majestas ante terrae vermiculum! Examinandus, judicandus, condemnandus DEUS ab impiis homine Christum ita stantem cogita, quando confiteris, aut innocenter exprobrationem audis, vel irato & male morato cohabitas.

**Punct. 2.** *Non respondit ei ad ullum verbum. Matth. cap. 27.* Sustinebat quasi pluviam dendissimam opprobiorum in se cadentem, nihil negans, nihil excusans, nihil defendens. Quid nos? clamamus, furimus, imploramus superum hominumque fidem. Quanti nobis est punctum honoris? Etiam rei non ferimus accusari. Quis est, qui tacet, cum potest refutare?

**Punct. 3.** *Ita ut miraretur Praeses vehementer. Matth. c. 27.* Nimirum hanc mirabilem mansuetudinem, humilitatem, patientiam. Hanc admirationem, quin et ædificationem possemus etiam nos excitare

Citare in proximis nostris, si æquè humili-  
ter, patienter & mansuetè aliorum impro-  
peria sustineremus, præsertim iracundo-  
rum, fatuorum &c.

## MEDITATIO CXIV.

Punct. 1. *Interrogabat eum (Herodes) multis sermonibus, ipse nihil illi respondebat. Luc. c. 23.* Herodes erat politicus, curiosus, illusor, veritatis incurius &c. ideo eum Christus tanquam incapacem responso non dignabatur. Et tu cum hoc hominum genere nullam habe consuetudinem. Si debes loqui, loquere seria, salubria, sancta &c. & fugient te.

Punct. 2. *Vos dicitis, quia ego sum. Luc. c. 22.* Adjuratus per Deum vivum confessus est suam Divinitatem, beneisciens, hanc suam confessionem ei mortem allaturam. Non erubet dicere veritatem, quando Dei honor & munus tuum requirunt, etiam si prævideas, odium ex tua libertate secuturum. Non erubet stare pro innocentia & honore proximi tui, etiam vel unus contra omnes.

Punct. 3. *Blasphemavit. Matth. c. 26.* Tam exosa est mundo veritas, ut eam pro blasphemia habeat. Adjuraverunt Iudees Christum pro dicenda veritate; dixit, & blasphemum proclamarunt. Sta in veritate & sinceritate cum omnibus, Veniet tempus, quo omnes veritatis osores dicent:

Ergo erravimus à via veritatis. Ubi paſſio prævalet, ut apud Caipham, intellectus non amplius discernit inter verum & falso.

## MEDITATIO CXV.

Punct. I. *Audistis blasphemiam, quid vobis videtur?* Matth. c. 26. Omnes acclamarunt: reus est mortis. Non sunt contenti detractores, murmuratores, incentores, turbatores peccato suo, omnes alios suæ malitiæ volunt esse participes. Neminem induc ad peccatum, neminem fac participem tui odii in proximum. Ratio tibi sat gravis erit de peccatis tuis, quid vis tibi graviorem facere de alienis?

Punct. 2. *Quid adhuc desideramus testimonium?* Luc. 22. Triumphant impii, dum noceant. Exultant in rebus pessimis, gratulantur sibi optatum exitum malarum inventionum suarum, si suos æquales, aut superiores suis astutiis induxerint, aliis nocuerint, corda fratrum suorum diviserint.

Punct. 3. *Reus est mortis.* Matth. c. 26  
Quare? propter blasphemiam. Tuam scilicet ô homo, non suam. Tu cum Adamo voluisti esse sicut Deus, dum per quodvis peccatum te ipsum tibi Deum constituis & rejicis mandatum Domini Dei tui, tu reus es mortis. Quot peccata committis, tot tibi idola constituis, inter quæ maximum

**M**un est tua propria & depravata voluntas. Scrutare cor tuum, an non aliquod idolum reperias.

## MEDITATIO CXVI.

Punct. 1. *Ut factus est dies, convenierunt Seniores plebis & Principes Sacerdotum. Luc. 22.* Per noctem jacebat Christus instar canis ligatus in ergastulo, defatigatus, vulneratus, inter mille opprobria vigilum. O noctem horrendam! Interim dormiebant hostes Christi. Vigilant, orant, affligunt se servi Dei, ducunt in voluntabris noctes suas mali.

Punct. 2. *Ut factus est dies. Luc. e. 22.* Nocte sine ulla quiete transacta iterum rapitur Jesus ad tribunalia, ad calumnias, illusiones; verbera &c. O quoties interim suum in nos amorem renovaverit! quoties perfectissimam obedientiam exercuerit erga homines sceleratissimos! Intra in cor Jesu, & singillatim ejus affectus perpende.

Punct. 3. *Confestim manè consilium facientes summi Sacerdotes. Marc. e. 15.* O quam diversa studia! Christus laborat pro hominum vita; Sacerdotes pro Christi morte. Sic, dum Deus benefacit peccatoribus, & gratiam suam offert, peccatores student, quomodo Deum offendant. Summo manè boni laudant Deum, summo manè mali incipiunt peccare.

## MEDITATIO CXVII.

Punct. 1. *Duxerunt illum ad Pilatum. Luc. 23.* Summo manè , quo tempore tribunalia aliàs non patebant. Patet hinc , quām ferventer filii hujus seculi sua negotia urgeant, ad ruborem quandoque servorum Dei , qui proposita sua non æquè ardenter executioni mandare solent. An idem tuus fervor in spiritualibus , qui in temporalibus ?

Punct. 2. *Et surgens omnis multitudo eorum duxerunt eum ad Pilatum. Luc. 23.* Spectatum tumultum , quo Christus totus deformatus , cum summo contemptu , inter insultationes populi per civitatem ducitur. Aspice modestiam , patientiam , humilitatem , obedientiam , silentium Christi tui.

Punct. 3. *Quam accusationem affertis contra hominem hunc? Joan. c. 18.* Quid contemptibilis dici posset de Filio Dei ? quasi diceret : afferte aliquid , unde eum possim condemnare. Jam nemo ægrè ferat , judicari à pessimis. Illi Judici nos pareremus , cuius judicium veritas est. Non , qualis ab hominibus judicaris in bonum vel malum , es , sed qualis es coram oculis Dei . Sta , sicut Christus.

## MEDITATIO CXVIII.

Punct. 1. *Hunc invenimus subuersentem gentem nostram. Luc. c. 23.* Nolebant Judæi sententiam ferre, ita tamen urgebant Pilatum, ut essent unica causa mortis Christi. Mos hic est malorum; nunquam volunt videri nocuisse. Accusaverunt Christum, ut seductorem populi, prohibentem tributa dare Cæfari &c. quia ita audierunt à Pharisæis &c. Bene examina, certò cognosce, antequam deferas aut judices aliquem.

Punct. 2. *Prohibentem tributa dare Cæfari. Luc. c. 23.* Sciebant, ipsum docuisse: date Cæfari, quæ sunt Cæfaris: & tamen. Sic delatores iniqui ex passione addunt mendacia, exaggerant minima &c. ut finem suum obtineant. Nihil unquam age in passione; nihil depropera; audi etiam alteram partem; non sis primò occupantis; pacem super omnia habe tecum & cum aliis.

Punct. 3. *Et dicentem, se Christum Regem esse. Luc. c. 23.* Hæc erat ter-tia accusatio, & in hac verum dicebant: demonstravit enim Christus stupendis miraculis &c. se Messiam esse: illi autem Pilato volebant curam injicere affectati Regni contra Cæfarem. Regnum autem Christi non erat de hoc mundo, id quod Pila-to claris terminis dicebat. Sed odium, ir-

vidia, timor excœaverunt Judæos & Pilatum ; forsan etiam te inferendo de aliis judicio.

## MEDITATIO CXIX.

Punct. 1. *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba. Luc. c. 23.* Factum hoc est in aula. Æterna Sapientia deridiculo habetur ab infatuatis aulicis. Christus tacet, & docet tacere, cum vilipendimur. Alter sentiebant de Christo circumstantes & obstupescentes Angeli. His testibus etiam tu vive.

Punct. 2. *Illusit illum indutum veste alba. Luc. c. 23.* Noluit Christus spectaculum facere impio Herodi, hic autem Christum spectaculum fecit aulæ, Principibus Sacerdotum, cœlo & nobis, Regem cœli & terræ indutum veste alba velut factum. Laudat mundus sui similes, contemnit dissimiles: hic autem contemptus summa laus est bonorum coram Deo & bonis.

Punct. 3. *Et remisit ad Pilatum. Luc. 23.* Disce internam animi quietem conservare, etiamsi alii de te male sentiant, aut loquantur, tenaciter circumducant, tua opera non approbent. Cui servis, Deus est; & causa serviendi est infinita ejus dignitas. Hoc manet, et ambi apud homines omnia tua essent perdata.

## MEDITATIO CXX.

Punct. 1. *Et ipsi non introierunt in pratorium, ut non contaminarentur.*

*Joan. c. 18.* O Pharisaicam malitiam! Non volebant ingredi domum hominis Ethnici, ut non contaminarentur, gravissima autem scelera odii, invidiae, injustitiae &c. fovebant in sinu. Sic leves quandoque defecitus, qui in oculos hominum incident, studiosè cavemus, graves coram Deo negligimus.

Punct. 2. *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissimus cum.* *Joan. c. 18.* Sic agunt homines passione exulcerati, non descendunt ad particularia, sed absolute mala pronunciant, quos oderunt, & volunt obruere audientes. Cave credas generalibus terminis, attende ad modum deferendi exacerbatum, exasperatum, probantem &c. Nihil crede, nisi quasi videris.

Punct. 3. *Ergo Rex es tu?* respondit *Iesus:* *Tu dicas, quia Rex sum ego.* *Joan. c. 18.* Sciebat Christus, se hac responsione Pilato angustias, Principibus indignationem, sibi mortem causaturum; dedit tamen veritatis amore. Dic veritatem coram Deo, Superioribus, sincere interrogantibus. Premi poteris, nunquam opprimenti.

## MEDITATIO CXXI.

Punct. 1. *Vultis dimittam vobis Regem Iudeorum?* Marc. c. 15. Habes exemplum injusti Judicis, qui innocentiam agnoscit, & non satis habet animi eam defendendi ex respectu, vel metu proprii incommodi. Nunquam omisisti ex his ipsis causis innocentem defendere? laudare? ejus partes sequi!

Punct. 2. *Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barrabbam dimitteret eis.* Marc. c. 15. In populo multi adhuc Christo devoti erant, sed Principum & Phariseorum auctoritas omnes pervertit. Sic peccata majorum nunquam sunt sola; trahunt enim multos exemplo. Ingens perversitas! Christum comparare cum Barabba. Et quoties tu Deum cum creatura?

Punct. 3. *At illi dixerunt, Barabbam.* Matth. c. 27. Gravissime erravit Pilatus, optionem relinquendo inter Christum innocentem, & Barabbam latronem. Gravissime erravit populus, præferendo latronem Christo, benefactori, doctori, Innocenti &c. Hinc collige, quid trubendum judicio plebis: cui tamen plurimi probare se student.

## MEDITATIO CXXII.

Punct. 1. *Quid igitur faciam de Iesu?* *Matth. c. 27.* Judex quærerit ex accusatoribus, sicut si quæreret ex lupis, quid faciendum cum agnis. Idem facimus nos, si interrogamus nostros sensus & passiones, quid hic & nunc faciendum sit in via Domini. Quid aliud nobis dicent, quām: consentiamus passioṇi & delectationi, Christum autem offendamus.

Punct. 2. *Dicunt omnes: Crucifigatur.* *Matth. c. 27.* Herodes Christum volebat occidere inter infantes; Judæi volebant ipsum lapidare, aut præcipitare de monte; Christus autem elegit crucifixionem mortem omnium infamissimam. Et quidem ab omnibus: dicunt omnes: ab omnibus peccatoribus, inter quos & tu clamasti: crucifigatur.

Punct. 3. *Quid enim mali fecit?* *Matth. 6. 27.* Iterum agnitus est Christus innocens ab ipso Judice. Permisit tamen Deus Pater, ut prævalereret populus. Adora judicia Dei, etiam tunc, quando post omnem adhibitam diligentiam, post intentionem purissimam, post finem sanctissimum, tamen causâ cadis, & ab invidis persecutionem pateris.

## MEDITATIO CXXIII.

Punct. 1. *Ego nullam invenio in eo  
causam.* Joan. c. 18. Mirabilis Dei Pro-  
videntia ! aperta & judicialis sententia  
Christum innocentem proclamat, ut omnes  
agnoscant, sententiam mortis esse iniquissi-  
mam. Totum te Deo committe, qui ex  
malis etiam bona potest elicere. Ille pro-  
videbit, ut omnia denique in tuum com-  
modum cedant.

Punct. 2. *Si hunc dimittis, non es  
amicus Cæsar.* Joan. c. 19. Egit Pi-  
latus manifestè contra conscientiam, dum  
Christum innocentem agnovit, ex timore  
tamen perdendæ apud Cæsarem & Judæos  
gratiæ illum morti adjudicavit. Deseritur  
Deus, præfertur homo. Dei favor negli-  
gitur, favor hominis quæritur, supprimi-  
tur veritas, falsitas confirmatur.

Punct. 3. *Non habemus Regem, nisi  
Cæsarens.* Joan. c. 19. Malebant Cæsa-  
rem Ethnicum, dure ipsos tractantem,  
quam Christum habere Regem. Et quid  
nos? Suavissimum Christi jugum excutimus;  
mundi, diaboli, carnis, passionum nostra-  
rum jugum tyrannicum eligimus.

## MEDITATIO CXXIV.

Punct. 1. *Pilatus adjudicavit fieri  
petitionem eorum.* Luc. c. 23. Lavit  
manus Pilatus, &c denuo Christum innocentem

tem pronunciavit. Sed hæc fuerunt verba, re ipsa autem ad mortem condemnavit. Quoties dicimus & nos : Nolumus Deum offendere, & tamen facimus ea, quæ Deum offendunt. Vellemus obsecundare nostræ voluptati, & tamen Dei non resistere voluntati. Vellemus Deo servire, si nobis non esset grave.

Punct. 2. *Accipite eum vos, & secundum legem nostram iudicate eum.*

*Joan. c. 18.* Sciebat invidiam accusantium & innocentiam accusati, ne tamen offenderet accusantes, reliquit Christum furori eorum. Tam vilis erat persona Christi Pilato, tam vilis ejus vita; quasi diceret: Quid mea interest? accipite hunc homulū, & facite cum ipso, quod vultis. Nullus tibi homo vilis sit, præsertim innocens, præsertim pauper, præsertim derelictus! Homo est, satis est.

Punct. 3. *Iesus autem nihil amplius respondit. Marc. c. 15.* Ubi verba tua nihil amplius proficiunt, ubi se obfirmavit malitia, ubi sine ratione omnia clamoribus aguntur, tace, & exspecta tempus & occasionem fructuosè loquendi. Deus denique etiam tacet, quando ejus inspirationes & stimuli frustra sunt. Et tunc sequens adinventiones tuas eris mancipium cupiditatum.

## MEDITATIO CXXV.

Punct. 1. *Tunc exspuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt. Mathe. c. 26.* Non ita actum est cum latronibus & aliis ad mortem damnatis: hinc ajunt Patres, omnes tortores obsecros fuisse à diabolo, qui suam rabiem in Christum exseruerunt. Imaginare tibi circumstantes Angelos, & eorum affectus considera, considera affectus Christi.

Punct. 2. *Fesum autem flagellatum tradidit eis. Matth. c. 27.* Post injustissimam sententiam invaserunt lupi rabi di agnum, denudarunt, & horrendum in modum flagellarunt. Disce etiam vim ferre, etiam impiis obedire, etiam mansuetudinem in furore & rabie inimicorum conservare; immorigeros, crudos, iratos sustinere.

Punct. 3. Denudatur castissimus Jesus, al ligatur Omnipotens Dominus, flagellatur innocentissimum Corpus. Forsan dedisti causam immodestiam? forsan te ligari passus non es obedientiam, votis, promissionibus tuis? forsan corpus tuum nimis delicate habuisti? An solum patisines pro te?

## MEDITATIO CXXVI.

Punct. 1. *Fesum autem flagellatum tradidit eis. Matth. c. 27.* Quadraginta ictus alias constituti erant, ad Chri stem

stum autem convocaverunt integrum cohortem: unde queritur in persona Christi Psaltes: Super dolorem vulnerum addiderunt, vulnus super vulnus fecerunt sine misericordia. Qui? peccatores inveterati, consuetudinarii &c.

Punct. 2. *Neque species, neque decor erat ei, & reputavimus eum quasi leprosum.* Luit Christus peccata formæ, peccata vanitatis, peccata luxuriæ, quis dubitet, etiam peccata contraria religiosæ paupertati, abusum bonorum Ecclesiasticorum, nitorem utensilium superfluum, commoditates seculum spirantes, familiaritates &c.

Punct. 3. *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.* Sicut nullum membrum est in humano corpore, quo non offenditur Deus, ita nullum fuit membrum in Christo, quod nostri causâ in Christo non patiebatur. Totum corpus erat vulnus, nec erat Samaritanus, qui ea vino & oleo fovebat. Erit, si dolores, undecunque provenientes & molestias perferas in silentio & constantia.

## MEDITATIO CXXVII.

Punct. I. *Velaverunt eum, & percutientes faciem ejus, interrogabant, &c.* *Luc. 22.* Hæc omnia faciebant ad omnem Christo existimationem adimendam; quod ipsum etiam facit diabolus; ut pietatem ever-

evertat, facit contemptibilia devotionis exercitia, & omnes curas convertit ad molimina coram mundo splendida, ut sic divertat homines à Deo.

Punct. 2. *Prophetiza nobis. Lue. c. 28.*

**E**tiam prophetiis Christi illuserunt, & cognitioni secretorum cordis. Summæ Majestati insultaverunt scurræ impudentissimi. Tamen magis dolent Christo impudentes Christianorum, Deum agnoscentium, petulantiae, quas in Dei præsentia perpetrare non erubescunt. Multa non ageremus, si Deum præsentem crederemus.

Punct. 3. *Chlamydem coccineam circumdederunt ei. Matth. c. 27.* Illudebant ei quasi affectatori Regni, quia totus relictus erat petulantiae militum & apparitorum, quasi dicerent: Nolumus hunc regnare super nos. Idem faciunt, qui timore Dei abjecto vivunt secundùm désideria cordis sui. Etiam in hac chlamyde Regem tuum adora, & supple, quod mali conantur eripere.

## MEDITATIO CXXVIII.

Punct. 1. *Chlamydem coccineam circumdederunt ei. Matth. c. 27.* Purpura Regum est signum charitatis in subditos & protectionis. Etiam ita illusus Christus ardebat in nos charitate, & omnipotentiâ suâ nos protegebat. Charitatem, ne nos ludus fieremus Sathanæ; omnipoten-

tentiam parcendo & miserando demorabat.

Punct. 2. *Et plectentes coronam de spinis imposuerunt super caput ejus.*

*Matth. c. 27.* Altera illusio Regis erat corona spinea, quæ intolerabiles Christi capiti dolores causabat. Curæ Regum sunt spinæ eorum, uti è omnium Superiorum. Vide, ne spina sis capiti Christi & Superiorum tuorum. Eris, si possunt conqueri: Regimen nostrum nobis difficile reddis.

Punct. 3. *Posuerunt super Caput ejus.*

*Matth. c. 27.* Luit Christus per hanc Coronam delicta Regentum, qui non juxta prudentiam, cuius Corona signum est, sed secundum libitum regunt. Tamen tregi permittas. Si peccant illi male regendo, tu non peccabis sancte obediendo.

## MEDITATIO CXXIX.

Punct. 1. *Posuerunt super Caput ejus.* *Matth. c. 27.* Patitur Christus gravissime in capite, quia in capite potissimum peccamus, videndo, audiendo, loquendo, gustando, cogitando. Estne in te sensus aliquis, qui Deum non offendit? Fuisti corona spinea, sis gaudium & corona Christi in imitatione humilitatis & obedientiae.

Punct. 2. *Corona totum caput ultra oculos tegebat, sanguis undique defuebat,*

bat, & quia manus ejus ligatae erant, nec sanguinem ab oculis, nec spinas avertere potuit. Tulit peccata vultus nostri, quo placere volumus, & stultitiae nostræ, quâ omnia æstimamus secundum vultum, oculos, formam &c.

Punct. 3. *Et arundinem in dextra ejus. Matth. c. 27.* Hæc loco sceptri erat, quâ non Regem, sed stultum designabant. Ita etiamnum mundus imitatem Christi Sapientiam pro stultitia habet. Qui Regulas & mandata Superiorum pro sceptro habent ac venerantur, deridentur à libertinis, fugiuntur, traducuntur, vexantur.

## MEDITATIO CXXX.

Punct. 1. *Genu flexo ante eum illudabant ei. Matth. cap. 27.* Quid aliud agunt irreverentes in templo, lascivientes oculis, deproperantes SS. mysteria, sacrilegia committentes? Nanquid illudunt Christo, qui spernunt ejus Vicarios, qui pauperes, simplices, rudes, parvulos contemnunt aut scandalizant? qui in conspectu Dei indigna tractant?

Punct. 2. *Acceperunt arundinem, & percussiebant caput ejus, Matth. c. 27.* & spinas in caput intrudebant cum dolore inexplicabili per meditatem tyrannidem. Hi sunt, qui DEUM odio diabolico

eo oderunt, & omnia, quæ ad Dei cultum spectant, aversantur, Dei servos & dilectos persequuntur, ipsa DEI beneficia pessimadant, in domo Dei vitam malam agunt.

Punct. 3. *Exspuentes in eum, Matt. cap. 27.* tanquam in locum impurissimum, in faciem, in quam Angeli desiderant prospicere. Quis unquam malefactorum contemptibilius fuit habitus? O quam delicatus es DEI servus, qui minima quæque contemptus signa cum dolore, gemitu, querela, vindicta accipis! qui te putas negligi! merita tua doles non agnosci.

## MEDITATIO CXXXI.

Punct. 1. *Ecce homo! Joan. c. 19.* In forma omnium miserabilissima & vix hominem referente Pilatus Christum Iudeis ostendit; hi autem longè magis effrabantur. Expende actus internos Christi, & habebis, quod imiteris in confusione, & contemptu. Fecit hoc Pilatus, ut Iudeos ad misericordiam flesteret, sed magis irritavit. Saltem tu respice in faciem Christi tui, & ex intimo corde eum deprecare pro peccatis tuis.

Punct. 2. *Clamabant dicentes: Crucifice eum, crucifice eum. Joan. c. 19.* Sic faciunt, qui aures occludunt veritati, misericordiae, rationi. Volunt adinven-

tio-

tiones suas prosequi quocunque modo, nec Deum timent, nec homines verentur. Sic quandoque homines non malis adhærent opinionibus suis, suis imaginacionibus, suis passionibus, sic assuetis imperfectionibus, ut nulli rationi cedant.

Punct. 3. Si Pilatus scivisset, quod homo iste esset DEUS, sine dubio illum absolvisset, & ad genua ejus accidisset. Tu scis, & quomodo agis cum ipso? Audi querelam Isaiæ: Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisq; in viam suam declinavit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum, & pro transgressoribus (in omni suo dolore & confusione) rogavit.

## MEDITATIO CXXXII.

Punct. 1. *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Matth. c. 27.* Hic Sanguis etiamnum clamat vindictam in posteros Judæorum coram Pilato clamantium. Sed & contra illos, qui Sanguinis hujus fructus sua ingratitudine, Sacramentorum abusu, & gratiarum neglegēti non applicant. Dealbaret nos Sanguis Agni, modò efficaciter vellemus.

Punct. 2. *Suscepérunt autem Iesum, & eduxerunt. Ioan. cap. 9.* Iesum damnatum tripudiantes abripuerunt ex prætorio. Triumphus malorum est, dicentium: Quomodo potius aut quis me sub-

subjiciet propter facta mea ? peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus autem est patiens redditor. Noli prolongare ini-quitatem , veniens veniet , & moram compensabit gravitate poenæ.

Punct. 3. *Et bajulans sibi crucem exivit. Joan. c. 19.* Mirum, quod isti homines nequissimi coronam , chlamydem , arundinem , crucem & omnem apparatum intra tam paucas horas comparârint. Æque mirum est , quod mali omnes designationes suas longè majore fervore & diligentia urgeant , quam plurimi Christiani ea , quæ ad cultum D E I & suam perfectionem pertinent , aggrediantur.

## MEDITATIO CXXXIII.

Punct. 1. *Bajulans sibi crucem exi-  
vit. Joan. cap. 19.* Judæi ad summam Christi confusioneim imposuerunt humeris ejus crucem portandam , Christus ve-  
rò eam accepit ex manu Æterni Patris , ad exemplum omnibus imitatoribus suis , qui omnia adversa non ab hominibus , sed a DEO immitti credant , acceptent , & sequi non erubescant , quem præeuntem vident. Homines D E I instrumentum sunt.

Punct. 2. Grux Christo fuit ad sum-  
mum contemptum , nunc ad summam gloriæ est. Nullus sociabitur illi in glo-

ria, nisi qui post ipsum crucem portaverit, & Crucifixus fuerit, mundo scilicet, suis passionibus & concupiscentiis. Parebit hoc signum in cœlo, & omnes crucifixi cum gaudio illud aspicient. An omnibus, an aliquibus tantum clavis affixus es?

Punct. 3. Crux Domini erat valde gravis, Christus exhaustus, vulneratus & debilis, ita ut timerent carnifices, ne desiceret & moreretur in via. Reliquit nempe Deus Pater peccatoribus potestatem fabricandi Christo crucem, nobis autem ipse parat crucem, & non patietur quemquam pati supra id, quod potest. Nemo sibi eligat crucem, sed à providentissimo Deo libenter accipiat.

## MEDITATIO CXXXIV.

Punct. 2. *Imposuerunt illi crucem portare post Jesum. Luc. c. 23.* Sæpius sub cruce lapsus est Jesus, ideo Simonem angariaverunt, ut eum adjuvaret. Invitat nos Christus ad portandam secum crucem. Secum; quia adjuvat nos. Non autem expectemus angariari, sed sponte accurramus. Quò illibentius, eò gravius portamus.

Punct. 1. *Portare post Jesum. Luc. c. 23.* Si Simon scivisset, quis JESUS esset, opus angariatione non fuisset. Nos scimus. Post Jesum ferimus, & quis nos sequa-

sequatur suum Dominum? Sui amantissimum, & remuneratorem liberalissimum? Et quantula demum crux nostra est!

Punct. 3. Simoni durissimum fuerit, in tam despicibili obsequio Christum comitari. Fecit tamen denique ex commiseratione. Factus postmodum est Episcopus, & plenus bonis operibus. Mortuus est in senectute magna Ierosolymis. Ecce mercedem portatae crucis. Debemus quandoque ex necessitate virtutem facere, si volumus mereri.

## MEDITATIO CXXXV.

Punct. 1. Sequebatur illum autem multa turba populi & mulierum. *Luc. cap. 23.* Et hæ plangebant & lamentabantur. Placet Domino dolorosa & amorosa memoria passionis ejus; longè autem magis serius dolor de peccatis nostris & redhibitio amoris erga Christum, tanta amore nostri passum. Sine dolore & amore quid juvat plangere? si autem doles & amas, imitare.

Punct. 2. Si in viridi ligno hac faciunt, in arido quid fiet? *Luc. cap. 23.* Dilexit Deus Pater Unigenitum suum Divino amore: quia tamen hic nostra peccata in se suscepit, crudeliter eum tractari permisit, lignum viride, vivum, fructiferum. Quid ergo nobis faciet, pro-

pria peccata afferentibus , lignis aridis,  
emortuis , infrugiferis ? quid in æternita-  
te impœnitentibus ?

**Punct. 3.** *Ducebantur autem & alii  
duo. Luc. c. 23.* Studio hoc faciebant  
Judæi , ut inter latrones tanquam & ipse  
latro condemnatus judicialiter cum sum-  
ma ignominia publicè educeretur . Hor-  
remus omnes hanc infamiam . Quanta-  
autem stultitia , velle coram DEO pecca-  
torem esse , coram hominibus autem ju-  
stum ! O ! modò homines de nobis bene-  
sentiant ! & quid hoc pro æternitate ?

## MEDITATIO CXXXVI.

**Punct. I.** *Perducunt illum in Gol-  
gotha. Marc. c. 15.* Mori voluit Chri-  
stus in loco malefactorum , ut ostenderet  
se pati pro malefactoribus . Quampri-  
imum hunc concendit , permisit se car-  
nificibus . Hic est locus nativitatis tuæ ,  
ô peccator ! nunquam ab hoc monte di-  
scede ! hic es ad vitam regeneratus , &  
quod in arbore peccaveras , in arbore  
persolvisti per Christum Dominum no-  
strum .

**Punct. 2.** *Crucifixerunt eum. Ioan.  
cap. 19.* Statim invaserunt eum carni-  
fices , coronam spineam de capite rapue-  
runt , vestes cum carne & sanguine detra-  
xerunt , in cruce in trusserunt . Hæc , ô  
anima bene perpendens inspice cor Jesu ,  
aspi-

aspice extendentem brachia &c. Considera rerum omnium nudissimam paupertatem, erubesc tuas commoditates. Non habet, ubi caput reclinet, quis de-relictior?

Punct. 3. *Cruciferunt eum. Joan. cap. 19.* O theatrum doloris & amoris! O cathedra sapientiae & scientiae! O spectaculum, quo mundus non vidit admirabilius! O speculum omnium virtutum! O solatium omnium affiectorum! O spes omnium peccatorum! O unicum refugium pœnitentium!

## MEDITATIO CXXXVII.

Punct. 1. *Cruciferunt eum. Joan. cap. 19.* Adigebantur clavi per manus & pedes, non clamavit. Erectus est cum ingenti totius corporis concussione, non est questus. Coronâ spineâ denuo est coronatus, non ingemuit. Quid tu pateris sine gemitu, querela, clamoribus? & quid sunt illa, quæ pateris, doloribus Christi comparata?

Punct. 2. Ecce Sacerdotem simul & hostiam pro peccatis nostris! Ecce brachia expandit ad te amplectendum! Ecce clavis affixus est, ex quibus toto corpore pendet cum inexplicabili dolore. Audi, alloquitur te. Quid dicit? Amore, tui ô homo crucifixus sum.

Punct. 3. Nos omnes modos exquirimus, quibus ea, quæ patimur, minuimus. Christus omnes modos permisit, quibus gravius torqueretur; scilicet, ut copiosa esset nostra Redemptio. Sed & nos deberemus sectari perfectiora, ut major esset amor & gratitudo nostra. Amor aut pares invenit, aut facit.

## MEDITATIO CXXXVIII.

Punct. 1. Cruciferunt eum. *Ioan. cap. 19.* Foderunt manus meas & pedes meos, & numeraverunt omnia ossa mea, ait Psaltes in persona Christi. Ita nimis manus & pedes distenderunt, & traxerunt ad foramina crucis, ut omnia ossa extraherentur ex juncturis suis. An manus & pedes tui hujus immanissimi doloris causa fuerunt?

Punct. 2. Crucifixio ademit Christo omnem libertatem se movendi. Tuæ libertatis abusus, tuæ circumvagandi licentiæ, tuarum manuum acediæ aut petulantiae Christo clavos infixerunt, bone modum curiositati, vanitati, licentiæ, & novis propositis te cruci affige.

Punct. 3. Clavi tui sunt vota tua, quibus te voluntarie cruci Christi affixisti. Noli extrahere hos clavos quoconque modo, nisi velis Christum in cruce solum relinquare, & dicere amplius non possis: Christo confixus sum cruci.

M E-

## MEDITATIO CXXXIX.

Punct. I. *Crucifixerunt eum. Joan. c. 19.*  
 Horribilior etiam ex hac causa crux fuit,  
 quod altior non fuerit, quam ut vir stans  
 Christi pedes posset artingere, partim pro-  
 pter nuditatem, partim propter blasphemias  
 in os injectas, partim propter ipsam  
 viciniam circumstantium. Audebis in-  
 faciem Christi suspicere? capite in terram  
 demisso adora.

Punct. 2. Pendebat inter duos latro-  
 nes medius, quasi omnium sceleratissi-  
 mus. Conversatus est Christus cum pec-  
 catoribus, pransus est cum peccatoribus,  
 mortuus est cum peccatoribus. Venit  
 enim querere, & salvum facere, quod  
 perierat. Neminem contemne, nem-  
 nem despera; longanimitate, mansuetu-  
 dine, amore etiam dura corda expugna.

Punct. 3. *Morte turpissima conde-  
 nnemus eum, ajunt impii apud sapientem,  
 & nomen ejus non memoretur amplius.*  
 O quam decipiuntur omnes, qui amicos  
 crucis Christi quasi exterminare volunt  
 suis violentiis! Non est consilium contra  
 Dominum. Adoratur Crucifixus ubique,  
 & inimici crucis Christi erunt omnium  
 hominum abjectissimi.

## MEDITATIO CXLI.

Punct. 1. *Hic verò nihil mali fecit.*  
*Luc. cap. 23.* En iterum publicum testimonium innocentiae Christi ! En firmam fidem ! Nihil Dismas vidit in Christo, quod DEO esset simile, sed merum contemptum , & miseriam , & tamen ipsum Regem & Deum confessus est , & contra blasphemantem defendit. Habet motiva incomparabilia ad credendum id, quod non vides. Ut habeas, quo innocentem defendas , habe amorem.

Punct. 2. *Memento mei , cùm venieris in Regnum tuum.* *Luc. cap. 23.* Credidit alteram vitam , credidit remunerationem. Cum timore D E I usus est hac gratiæ occasione. Alter latro hæc omnia vidit & audivit , & non credidit. Unus assumetur , & alter relinquetur. Vide ne alias accipiat coronam tuam.

Punct. 3. *Hodie tecum eris in Paradyso.* *Luc. c. 23.* O clementiam ! ô mansuetudinem ! ô amorem Christi erga peccatorem pœnitentem ! Non sis austerus , non impatiens , non contemptor peccatorum. Instrumentum es. Si ipse Dominus offensus tam bonus est , quid instrumentum furit?

## MEDITATIO CXL.

Punct. 1. *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Lue. cap. 23. Dum cruciatur Christus acerrimè, orat pro cruciantibus. Ut faciliùs exaudiatur, excusat illos. Ut misericordiam impetrat, adhibet titulum Patris. Prævidebat interitum horrendum carnificum suorum, & dolebat. Quid nos erga malevolos?

Punct. 2. *Quia nesciunt, quid faciunt.* Lue. c. 23. Poterant scire, Christum esse Filium DEI. Dixit ipsis in claris terminis, & tamen excusat. Disce bonum nomen fratris tui defendere; excusa intentionem, si factum non potes. Saltē tace, & ora pro inimicis tuis, ut saniorem mentem eis Deus largiatur, & convertantur.

Punct. 3. *Pater ignosce illis.* Lue. cap. 23. Quare nihil impetravit? quia ipismet obduraverunt corda sua, & gratiā noluerunt uti. DEUS verè te amat amore paterno. Dei Filius te amat amore excessivo, quem ostendit in acerbissima morte sua. Spiritus Sanctus amat te amore inenarrabili, & vult omnino sanctificare te. Sed non salvabit te DEUS sine te. Etiam tu debes velle.

## MEDITATIO CXLII.

Punct. 1. Stabat autem iuxta ~~crossum~~  
eum Mater ejus. Joan. c. 19. Inexpli-  
cabilis fuit dolor Mariæ, quia Matri, &  
Matri talis Filii, quem amavit super om-  
nia ut DEUM & Filium suum. Hoc non  
obstante fuit resignatissima in voluntatem  
æterni Patris, cui etiam ipsa obtulit Fili-  
um suum pro salute hominum, qui ta-  
men fuimus causa mortis ejus.

Punct. 2. Non erubescerebat mater es-  
te, & apparere coram omnibus contem-  
ptissimi Filii, & inter capiteles etiam ip-  
sius hostes. Volebat adesse Filio suo us-  
que ad mortem, & magis affigebat an-  
tiram suam crucifixo Filio suo, quam  
corpori suo.

Punct. 3. Considerabat vulnera, co-  
ronam capiti impressam, corpus undi-  
que deformarum. Videbat circum circa  
sparsum sanguinem. Audiebat horrendas  
blasphemias & insultationes Judæorum.  
Expectabat ultimum halitum Filii sui. O  
quam verè S. Simeon: Et tuam ipsius  
animam doloris gladius pertransibit.

## MEDITATIO CXLIII.

Punct. 1. Mulier, ecce filius tuus.  
Joan. cap. 19. Ecce! quanto amore  
Christus suos usque in finem diligit! In-  
sum-

summis doloribus , in agone mortuali Joannem Matri suæ Filium adoptat loco sui. O amicum fidelem ! ô Patrem optimum ! Joannem adoptat, scilicet sequentem usque ad crucem , usque ad mortem.

Punct. 2. *Ecee Mater tua ! Joan.*  
*cap. 19.* Quæ gratia ! habére Matrem DEI pro Matre sua ! Commendabat dilectissimam suam Matrem fidei dilectissimi sui Joannis. Commendabat Matri suæ amantissimæ dilectissimum suum Joannem. Non discede ab hoc monte , antequam Mater DEI te assumat in suum Filium. Cogita , quibus obsequiis hanc gratiam possis mereri.

Punct. 3. Quatuor sunt, quæ specialem Christi amore merentur: Super omnia aestimare à Christo amari ; amare Mariam Matrem Dei. Christum sequi usque crucem ; denique castè vivere. Hæc habuit Joannes , quem diligebat JESUS. Vis , ut ameris ? ama.

## MEDITATIO CXLIV.

Punct. 1. *Deus meus ! Deus meus ! quare me dereliquisti ? Matth. c. 27.*  
 Divina Persona Christi Humanitatem suam pati permisit omnia , quæ homo potest , sine omni solatio. Dein non tantum permisit esse sine solatio , sed insuper vitam , quam pluries amittere debuisset ,

conservavit, ut plūs & diutiū pati posset. His omnibus non obstantibus totum tempus in oratione & affectibus impendit.

Punct. 2. Clamabat Christus ad Patrem, quod Divina Persona ei ad nihil aliud esset, quam augendos & prolongandos dolores; quae utique est derelictio terribilis. Si quando contingat, te tibi relinqu, nihil omitte, & sustine Dominum.

Punct. 3. In hac derelictione Christus excessum & abyssum amoris sui manifestavit. Abyssus amoris nostri consistit in hoc, ut amor noster sit prorsus purificatus & absolutus ab omni eo, quod posset suspicionem facere, nos aliud quærere, quam solum DEUM. Quid quæsivit Christus, nisi Gloriam Patris per tuam salutem?

## MEDITATIO CXLV.

Punct. 1. *Sitio. Ioan. c. 19.* Lacrymas plurimas, sudorem sanguineum, sanguinem copiosum usque ad crucifixionem Christus profuderat, hinc sitis. Voluit etiam hanc pati propter sceleras ebriosorum. Aliam sitim habuit, & maiorem, animarum nostrarum. Hanc extingue poenitentiæ lacrymis. Ne des effienti acetum & fel tuarum culparum, & inordinatarum passionum.

Punct. 2. *Spongiam plenam aceto, byssœ*

*bysopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. Joan. cap. 19.* Loco vini, quod omnibus ad mortem euntibus dabatur, porrigebant vinum felle mixtum, & deinde acetum. Idem tibi crede fieri & patere, quando experiris, te in omnibus mortificari. Idem faciunt, qui optimos annos mundo, faciem Christo servant; qui tempus optimum negotiis, luridissimum cultui Divino dicant.

Punct. 3. Eo usque debes sustinere Dominum, ut, si nec à DEO nec ab hominibus solatium accipis, tamen in bonis perseveres. Facile est carere solatio humano, quando adest Divinum. Sed Divino & humano carere solatio posse, perfecti hominis est.

## MEDITATIO CXLVI.

Punct. I. *Consummatum est. Joan. cap. 19.* His verbis agit Christus gratias DEO Patri pro consummatione omnium, quæ ei imposita erant. Dei perfecta sunt opera; talia sint & tua, ut cum veritate possis dicere: Consummatum est. Feci, quod potui, quod debui, & sicut potui & debui.

Punct. 2. A primo Conceptionis momento nulla temporis particula fuit otiosa Christo. O quantum temporis tibi effluxit otioso? imò & malitioso! O quot defectus aliquando patebunt in operibus nostris,

stris etiam bonis? Non omnia aurum sunt,  
quæ splendent! plurimum scoriæ admix-  
tum est.

Punct. 3. Tunc dicere poterimus:  
*Consummatum est*, quando poterimus  
dicere: Feci amore DEI, quod potui. Si  
totum cor nostrum introspicimus, inve-  
niemus, nos non adimplevisse præcep-  
tum: Diliges Dominum Deum tuum ex  
toto corde tuo. Quid deest?

## MEDITATIO CXLVII.

Punct. 1. *Pater, in manus tuas  
eommendo Spiritum meum.* Luc. c. 23.  
Hic est finis totius vitæ nostræ, Spiritum  
D E O gratum, bene purgatum, bonis  
operibus refertum in manus Creatoris tra-  
dere. Age Christo morienti ex toto cor-  
de gratias pro opere Redemptionis no-  
stræ. Creavit te Deus propter se, rede-  
mit te Christus propter se, vive propter  
ipsum.

Punct. 2. *Hæc dicens expiravit.*  
Luc. cap. 23. Obscuratus est sol, ve-  
lum templi scissum est, terra tremuit, pe-  
træ scissæ sunt, mortui ex sepulchris sur-  
rexerunt. Quis in te motus? in te, pro  
cujus salute mortuus est? in te, quem  
Patri reconciliavit? in te, quem usque  
ad mortem, mortem autem crucis di-  
lexit?

Punct.

Punct. 3. Quænam est optima ad mortem præparatio ? Aliqui dixerunt : perfecta pœnitentia; Alii : Uſus SS. Sacramentorum. Alii : Perfecta oratio & Sanctorum intercessio. Unus dixit : Perfecta conformatio voluntatis cum Divina; alii Eleemosynam , amorem liberalem erga animas Purgatorii , cultum Beataissimæ Virginis , frequenter orationem pro gratia finali. Elige !

## MEDITATIO CXLVIII.

Punct. 1. *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit. Joan. cap. 19.* In Divino Jesu corde amor ille habitavit, cuius impulsu omnia fecit , quæ fecit. Ad hoc post mortem suam aditum patefieri permisit , ut cogitationibus nostris in illud ingrederemur, & in eo amare disceremus.

Punct. 2. *Continuò exivit sanguis & aqua. Joan. cap. 19.* Usque ad ultimam guttam dedit sanguinem suum pro nobis Christus : nos verò semper aliquid nobis reservamus ; nunquam nos D E O ex toto permittimus. Non invenio opera tua plena coram DEO meo. Cui utilius , cui majori jure nos consecramus totos , quam Deo nostro ?

Punct. 3. *Videbunt , in quem transfixerunt. Joan. c. 19.* Veniet tempus, quo omnes in Christum , quem crucifiximus,

mus, aspiciemus: quām diverso affectu? aliqui intensissimo amore; aliqui tanto cum tremore, ut colles sint invocaturi: Operite nos; omnes illi, qui Passionem Domini quotidie recoluerunt, cum summo solatio.

## MEDITATIO CXLIX.

Punct. 1. *Iesus Nazarenus Rex Iudeorum. Joan. cap. 19.* Mira DEI dispositio! Christum volebant Judæi affectati Regni reum agere; Deus autem per Pilatum toti mundo ostendit, Iesum esse verum Regem Judæorum. Et licet rogârint Judæi, ut titulus mutaretur, noluit Pilatus. Etiamsi tibi male velint homines, & varia in te machinentur, totum te committe Divinæ Providentiæ, quidquid hæc disposuerit, crede fore optimum. Nunquam turbari finas pacem & quietem internam.

Punct. 2. Christus Jesus est Christus Jesus, et si à Nazareth; quia nemini debet nocere patria: et si à Matre & Patre nutritio pauperibus; quia in nullo debet contemni paupertas: et si à Judæis tortus & Crucifixus; quia nulli debet præjudicare sua miseria. Non est consilium contra Dominum. Omne Judæorum odium, & totius inferni molimina non potuerunt intervertere Dei dispositionem.

Punct. 3. *Cum exaltatus fuero a terra,*

*terra . omnia traham ad me ipsum.*  
*Joan. cap. 12.* Quæstio est , an & tu  
 velis trahi ? sed quomodo ? verberibus  
 ut mancipium ? mercede , ut servus ? ti-  
 more & amore ut Filius ? Et quo vis tra-  
 hi ? ad sequelam Regis tui crucifixi . Sub  
 capite spinoso non decet membra esse  
 delicata.

## MEDITATIO CL.

Punct. 1. *Audacter introivit ad Pi-*  
*latum & petiit Corpus Iesu.* *Marc. cap.*  
*15.* Josephus ab Arimathæa scil. Qui  
 Christum vult sequi , multos debet supe-  
 rare timores , multos respectus , multas  
 minas & molestias malorum. Malebat  
 Joseph Judæorum incurrere invidiam ,  
 quam non habere Sanctissimum Corpus  
 Christi.

Punct. 2. *Posuit illud in monumen-*  
*to suo novo.* *Matth. c. 27.* Gaude , pos-  
 se aliquid Christo dare. Dabis autem , si  
 membris ejus dederis , pauperibus , ru-  
 dibus , ægrotis , pœnitentibus , minimis ,  
 animabus tamen à Christo redemptis. Da-  
 bis , si excideris ex petra cordis tui habi-  
 tationem congruam Christo.

Punct. 3. Vix à monte Calvariæ , vix  
 à sepulchro separari poterant Maria Ma-  
 ter , Joannes , Maria Magdalena &c. No-  
 ste demum ingruente abibant corpore ,  
 animo

animo in monte & sepulchro manente.  
Amor & dolor omnium corda replebant.  
Nunquam discedat à corde tuo cogitatio:  
Amor meus crucifixus est.

## MEDITATIO CLI.

Punct. I. *Foderunt manus meas & pedes meos. Psalm. cap. 21.* Quinque vulnera ex omnibus servavit Christus tanquam principalia, quæ Sancti omnes in omnem æternitatem aspecturi essent tanquam probationem intensissimi amoris Christi erga electos suos. Eadem ut talia etiam nunc aspice cum tali affectu, qui mereatur ea æternum aspicere.

Punct. 2. Hæc ipsa vulnera servavit Christus in solarium discipulis suis, vi-dentibus, vulnera ita honorari, ut etiam in Divino Corpore tanquam ornamenta asserventur. Longè alia cimelia æternitatis sunt, quam hujus vitæ. Sanguis & sudor pro Christo fusi in uniones trans-eunt.

Punct. 3. Sacra quinque vulnera asyla quinque sunt, in quibus animæ quiescunt, animæ desolatæ, afflictæ, pœnitentes, amantes: Dum enim cogitando in ea intrant, intelligunt, ea fuisse facta in salutem suam, in remissionem peccatorum, in victoriam adversitatum, in excitamentum virtutum, in spem æternæ consolationis.

ME-

## MEDITATIONES

*A Feste Paschatis usque ad  
Diem Octavam SS. Corporis  
Christi.*

## MEDITATIO CLII.

Punct. 1. *Quis revolvet nobis lapi-  
dem ab ostio monumenti?* Marc. c. 16.  
Nullum impedimentum habuit Christus à  
mortuis resurgens: nos autem sæpe im-  
pedit lapis; illud nempe, qualemunque  
sit, quod impedit perfectam reformatio-  
nem animæ nostræ, quam ad terram &  
terrena deprimit.

Punct. 2. *Surrexit, non est hic,* Marc.  
cap. 16. scilicet in sepulchro. Tunc  
spiritualiter resurrexisti, quando nihil am-  
plius commune habes cum mortuis;  
sed tuis desideriis & functionibus tendis  
sursum. Quando in officiis agilis, in dif-  
ficultatibus penetrans, in agendo & lo-  
quendo clarus & sincerus, in omnibus  
spiritualis es.

Punct. 3. *Dicite discipulis ejus &*  
*Petro.* Marc. c. 16. An igitur Petrus  
non est unus ex discipulis? Specialiter no-  
minat Petrum, ne propter lapsum suum  
cre-

crederet, se ex numero discipulorum expunctum esse, & ideo non auderet comparere in conspectu Christi. Sit, quod & tu fueris in promissis infidelis; accede tamen ad Christum, qui in omnes verè contritos & pœnitentes benignissimus est. Nullum verbum legitur in Scriptura, quod Christus Petro lapsum suum exprobrarit.

## MEDITATIO CLIII.

Punct. 1. *Quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita nos in novitate vitae ambulemus. Rom. 6. 6.* Ambulabis, si nihil magis horreas, quam mortem peccati; si maneas in gratiâ Dei immortalis; si fugias omnem morbum animæ, disponentem ad mortem animæ.

Punct. 2. Eris etiam suo modo impassibilis, si passionum & cupiditatum tuarum mancipium non sis, sed tui per constantem earum victoriam Dominus, cum hoc discrimine, quod glorificata corpora sint impassibilia & non sentiant, tu verò sentias & non patiaris inordinatè. Examina Amorem tuum & iram &c. an non turbent statum animæ tuæ?

Punct. 3. Dotem claritatis æmularis, si bono vitæ exemplo aliis prælucceas, & juxta lumen rationis, Sanctæ Fidei, & divinarum inspirationum ambulaveris, Agilitatem fervore, subtilitatem fortitudine referes, ita ut nulla difficultas

tas in vita spirituali sit, quam non vigore animi penetres.

## MEDITATIO CLIV.

Punct. I. Exierunt citò de monumento cum timore & gaudio magno currentes nunciare discipulis ejus. Matth. c. 28. Verus amor gaudet aliis afferre gaudium, æmulatio auferre. Sine mora benefacit omnibus charitas, livor malum cogitat. Sincerus amor sibi gratulatur, cum omnibus bene est; invidia dolet.

Punct. 2. Et ecce Jesus occurrit illis, dicens: avete. Matth. c. 28. Hic amabilissimus occursus fuit præmium charitatis harum mulierum, quâ gaudium discipulis communicare volebant. Est Deo impossibile, illis non benefacere, qui veram proximi dilectionem habent. Deus charitas est.

Punct. 3. Illæ autem accesserunt pedes ejus, & adoraverunt eum. Matth. 28. Vide ardenter charitatem & summam reverentiam! Corda earum innatabant gaudiis ex conspectu præsentis Christi, Ubi amor tuus? ubi reverentia majestatis in Oratione aut SS. Eucharistia?

## MEDITATIO CLV.

Punct. I. Et videntes eum quidam ado-

adoraverunt , quidam autem dubitârunt. Matth. c. 28. Ecce discrimin inter fidem vivam & tepidam ! viva adoravit , tepida dubitavit . Viva fides est vita actionum nostrarum , tepida languor . Quoties cum & coram Deo agimus , quasi non cum & coram Deo ageremus ?

Punct. 2. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Matth. c. 28. Quis non confidat in Christo ? Toti , quo ad omnia , debemus pendere à Christo ; quia de plenitudine ejus nos omnes omnia accepimus. Non scimus nostras divitias in Christo , aliàs longè cum majori fiducia ad ipsum accederemus , & in omni necessitate nostra ad ipsum accurreremus.

Punct. 3. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Matth. c. 28. Christus nobiscum est suâ præsentia in SS. Eucharistia ; quoties eum visitamus ? in SS. Sacrificio Missæ ; quâ diligentia huic summo mysterio vacamus ? Beati ! qui hanc præsentiam sibi nôrunt reddere salutarem . Sic nos ille visitat , sicut ipsum colimus.

## MEDITATIO CLVI.

Punct. 1. *Mulier, quid ploras ? Joan. c. 20.* Dulcis Magister ! ad quid quæso provocas spiritum mulieris hujus ? Tota pendet in te , tota manet in te , tota sperat

rat in te, & tota desperat de se: Ita quærit te, ut quærens nihil quærat; nihil cogitet præter te: ideoque forsan non cognoscit te, quia non est in se, sed propter te est extra se. Cur ergo dicis, quid ploras?

Punct. 2. *Vade autem ad fratres meos, & dic eis.* Joan. c. 20. Vocat Christus Apostolos fratres suos ex mira dignatione, & longè mirabiliori charitate, omnium Dominus, Caput, & Deus. Esto, quod in passione sua ipsum deseruerint, illos tamen non deserit, sed amat ut fratres.

Punct. 3. *Videt Dominum, & hoc dixit mihi.* Joan. c. 20. Hunc suum amorem in Christum publicè professā, à Judæis in exilium pulsa & Massiliæ Apostolā facta est. Videre Dominum meruit, quia amorosissimè quæsivit. Christi resurrectionem propalare studuit, quia ejus gloriam unicè amavit. Magna facit amor, si sincerus est.

## MEDITATIO CLVII.

Punct. 1. *Dicito mihi, ubi posuisti eum, & ego eum tollam.* Joan. c. 20. Magnanimus est amor, nullam difficultatem horret, immò difficultatibus magis inflammatur, sicut ignis vento expositus. Omnia perrupisset Magdalena, ut dilectum suum eriperet. Nondum magnum aliquid pro Deo præstitisti, quia nondum ardenter amasti.

Punct.

Punct. 2. *Dicit ei Jesus: Maria.*

*Joan. c. 20.* Suo vocat eam nomine, sono & accentu tali, ut statim Christum agnosceret etiam in habitu hortulanii. Conversus est dolor magnus in gaudium magnum, & ubi audivit: Maria, persensit in nomine singularem vocantis dulcedinem, & revixit spiritus ejus. Quare ad nos non ita loquitur suaviter Christus? quia non ita querimus, non ita amamus.

Punct. 3. *Dicit ei: Rabboni. Joan. c. 20.* Magister mi! en ego tua discipula, tua filia spiritualis, me totam tibi dedo, in te redivivo rursus vivo, & illico voluit osculari pedes amantisimi Magistri sui. Si vis scrutari amorem tuum, quem habes ad Deum tuum, tantum examine, quam libenter sis apud Deum, quam libenter cum ipso colloquaris, an non omnis mora tibi apud ipsum longa sit?

## MEDITATIO CLVIII.

Punct. I. *Qui sunt hi sermones; quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes? Luc. c. 24.* Associat se Christus de sua passione loquentibus, & solatur eos, qui propter se erant tristes. Idem faciet meditantibus vitam & passionem suam cum amorosa memoria. Forsitan posset Christus te quandoque cum alio accentu interrogare: Qui sunt hi sermones?

Punct.

Punct. 2. *Ehit Vir Propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo.* *Luc. c. 24.* Non obstante omni Sacerdotum odio & morte infami maximum tamen laudem dederunt Christo hi duo euntes in Emmaus. Virtus, utū premitur, tandem tamen ad lucem venit. Non moreris hominum risus, contemptum, fugam &c. tandem etiam improbi splendorem virtutis agnoscent.

Punct. 3. *O stulti & tardi corde ad credendum!* *Luc. c. 24.* Dura admodum exprobratio hæc est; scilicet, quod post tot miracula, beneficia, doctrinas &c. tamen tam dubiam fidem habuerint. Sperabamus. Quid tibi diceret Christus post tot gratias, occasiones, & specialia tibi soli nota beneficia?

## MEDITATIO CLIX.

Punct. 1. *Coegerunt illum.* *Luc. 24.* Et quare coegerunt illum? propter ingenitem ardorem cordis, quem in eis Christus excitavit sanctissimo alloquio. Sic age cum omnibus, ut malent te diutius audire, & apud se habere, ac meliores fieri extua consuetudine.

Punct. 2. *Coegerunt illum.* *Luc. 24.* Quare Christus cogi voluit? ut per suum desiderium & conatum magis digni fierent ejus praesentiâ. Si illum in meditatione, oratione vocali, SS. Eucharistia magis co-

geres instando & urgendo, diutiūs & gratiosius apud te maneret.

Punct. 3. Coegerunt illum. *Luc. 24.*  
 Sua humanitate, sincera invitatione, &  
 allegatione ingruentis noctis. Si quem vis  
 honorare, si cui vis benefacere, fac libe-  
 raliter, ex animo, ex sancta charitate, &  
 non facilè accipe excusationem ab alte-  
 riis humilitate, aut humanitate. Eodem  
 modo age cum Deo, cogens illum con-  
 stantiā &c.

## MEDITATIO CLX.

Punct. I. Nonne cor nostrum ardens  
 erat in nobis, dum loqueretur in via?

*Luc. c. 24.* Unde venit, quod tuum  
 cor non ardeat, dum Christus tibi loquitur  
 in oratione, lectio, S. Communione?  
 Forsan cor tuum non est ita dispositum,  
 præparatum, attentum? forsan cor tuum  
 divisum est? forsan non agnoscis benefi-  
 cium?

Punct. 2. Et aperti sunt oculi eorum,  
 & cognoverunt eum. *Luc. 24.* Hæc vir-  
 tus, hic effectus est SS. Eucharistiae, ut  
 oculos mentis aperiat ad agnoscendum  
 Jesum, & penetrandas res cœlestes; si ta-  
 men cum eadem dispositione, præpara-  
 tione, attentione, amore vescimur.

Punct. 3. Evanuit ex oculis eorum.  
*Ibid.* Mansit tamen per Eucharistiam  
 por-

porrectam manducatus. Quisquis fidelis es, consoletur te fractio hujus Panis. Habeto fidem! tecum est, quem non vides. Postquam agnoverunt eum in fractione panis, sancte perrexerunt loqui. O quanta cum negligentia proditur tempus pretiosissimum post S. Communionem!

## MEDITATIO CLXI.

Punct. 1. *Et fores effent clausæ. Joan.*

*c. 20.* Clusas januas habent, qui contra humani lapsus negligentiam officia corporis sub forti custodiâ stricta retinent. Intus sunt, quia in interna dilectione supernæ vitæ requiescunt; quibus profectò resurgens Dominus apparet. S. Gregz.

Punct. 2. *Stetit in medio. Joan. c. 20.*

Falleris, Thoma, falleris, si videre Dominum speras ab Apostolorum Collegio separatus. Non amat veritas angulos, non ei diversoria placent, in medio stat, id est, in disciplina communis, communi vita, communibus studiis delectatur. S. Bern.

Punct. 3. *Ostendit eis manus & latu. Joan. c. 20.* In signum victoriæ; ad maiorem in nobis fiduciam excitandam eò quod hæc exhibeat Patri pro nobis; ad imitandum hunc vulneratum amorem; ad redarguendam malorum ingratitudinem; ad comprobandam patientiæ nostræ retributionem; ad testimonium nostræ post resurrectionem immortalitatis.

## MEDITATIO CLXII.

Punct. 1. *Stetit Jesus in medio discipulorum suorum. Luc. c. 24.* His ita in unum congregatis precatus est pacem, tanquam vinculum omnis communitatis. Quare quisque studeat, nullam dare occasionem, quā lēdatur pax, toleret potius omnia patienter, quām pacem turbet. Pateris ab alio? cogita, etiam alios pati à te.

Punct. 2. *Stetit Jesus in medio. Luc. c. 24.* Quando omnes in aliqua communitate sunt uniti vera charitate, Christus in medio illorum est. Unus abfuit Thomas, sui capititis, & ab hoc abfuit Christus, ire illum sinens in incredulitate sua. Non sis singularis. Non sis unus contra omnes, ne omnes sint contra unum.

Punct. 3. *Palpate & videte. Luc. 24.* Quanta gratia! videre & palpare vulnera Christi! O quanto cum affectu figerem oscula mille sanctissimo lateri &c.! Grata hæc obtigit unitis in unum Apostolis. Tu sicutem in imagine Christi Crucifixi intuere, & venerare sacra hæc stigmata, tanquam incentiva amoris tui reciprocari.

## MEDITATIO CLXIII.

Punct. 1. *Infer digitum tuum hic, & vide manus meas. Joan. c. 20.* Videbat, tangebatque Thomas hominem, &

& confitebatur Deum, quem non videbat, neque tangebat; sed per hoc, quod videbat & tangebat, illud jam remota dubitatione credebat. S. Aug. Quis pertinax hoc peccatum commovit? Mirabilis Christi bonitas penetravit. Quid non efficit bonitas?

Punct. 2. *Infer digitum tuum huc.*  
*Joan. c. 20.* Ecce clementiam Christi, quā ad omnes conditiones, quas posuit Thomas, se demittit, ejusque votis per omnia obsecundat, ut eum convertat. Non absterreamur à juvandis proximis ulla eorum cruditate, pertinaciā, ingratitudine &c. modò apud nos impatientia non sit in mora.

Punct. 3. *Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* *Joan. c. 20.* Quia ibi fides habet majus meritum, ubi humana ratio non præbet experimentum. S. Greg. Credis! ergo beatus es; si tamen exerces operando, quod credis. Dic: Dominus meus & Deus meus! & ita coram eo te gerere, sicut decet ante Dominum & Deum.

## MEDITATIO CLXIV.

Punct. I. *Insufflavit, & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum.* *Joan. c. 20.* Sicut Deus inspiravit Adamo spiraculum vitæ, & simul gratiæ, ita Christus Apostolis insufflavit vitæ spiritualis & potestatis augmentum. Habuerunt Spiritum.

Sanctum per baptismum , sed nondum potestatem Sacerdotum , quam modò dedit . Si & tu eam habes , agnosce cum humilitate dignitatem tuam .

Punct. 2. *Insufflavit. Joan. c. 20.* Ceremonia hæc fuit exterior signum communicati Spiritus & potestatis . Pessimè faciunt , qui Ceremonias Ecclesiæ contemnunt , aut luridè & superfundorū administrant : sunt enim hæc in Sacris nostris admodum religiosæ , excitantes ad devotionem , ornamenta sacrorum valde significativa . Multum in omni cultu Divino facit exterior compositio ad internam .

Punct. 3. *Sicut misit me Pater , & ego mitto vos. Joan. c. 20.* Simili potestate , auctoritate , fine , modo , amore . Videant igitur Sacerdotes , quomodo hanc potestatem exerceant , an ea charitate , quæ Christus ? Dei enim adjutores sunt in negotio animarum promovendo . An suis moribus & modo agendi Christum referunt ?

## MEDITATIO CLXV.

Punct. 1. *Misit illos prædicare Regnum Dei , & curare infirmos. Luc. c. 9.* Duo sunt labores Apostolorum , alter Verbum Dei , alter curatio infirmorum . Nunquam loquere diutius , quin aliquid de Verbo Dei immisceas , & nullam negligere occasionem afferendi solatium corpore

pore vel animo languentibus, si Apostolus es.

Punct. 2. *Nihil tuleritis in via.*

*Luc. c. 9.* Omnia rerum temporaliū curam & anxiam inquisitionem animarum zelatoribus Christus interdicit; quia hæc omnia sunt impedimenta, & multos avertunt à seria animarum cura. Pro certò habeant fideles, nos nihil aliud quaerere, quam animas, ipsos, non res ipsorum.

Punct. 3. *Et in quamcunque domum intraveritis, ibi manete.* *Luc. c. 9.* Non properate ad alios, vel in Confessione audiendos, vel in fide instruendos, vel consilio adjuvandos &c. donec plenè & perfectè uni satisfeceritis: magis enim prodest, unum bene curare, quam plures superficialiter relinquere. Pluvia lenta magis fœcundat, quam impetuosa.

## MEDITATIO CLXVI.

Punct. 1. *Nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illâ horâ.* *Matth. c. 10.* Totam vestram fiduciam collocate in Deo mittente: quæ enim propter Deum, & ex obedientia suscepistis, Deus perficiet. Patiemini contradictiones; sed Deus dabit vobis os & sapientiam.

Punct. 2. *Eritis odio omnibus propter Nomen meum.* *Matth. c. 10.* Summa

hæc láus est bonorum, & maximè Religiosorum, à malis despici: mali enim sibi similes non despiciunt, sed dissimiles. Audi S. Paulum: Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Gaudium hoc est proprium quarto modo servorum Dei.

Punct. 3. Sed potius timete cum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Matth. c. 10. Triumplabit mundus ad tempus; imitatores Christi æternū. Nihil ita timendum in servitio Dei, quam vanus timor. Multa facimus, multa omittimus, quæ non faceremus, nec omitteremus, nisi ineptè timeremus.

## MEDITATIO CLXVII.

Punct. 1. Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Matth. c. 10. Mercedem aliam non speremus à mundo, quam obloctiones, allatrationes, persecutions, ingratitudines, invasiones, ipsam mortem. Christus utique fuit disertissimus concionator, optimus benefactor, sanctissimus conveyor; & tamen! si me persecuti sunt, & vos persequentur.

Punct. 2. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columba, Matth. c. 10. Hoc est, cauti, & sinceri: cauti contra mundi fallacias, sinceri in veritate. Serpentes custodiunt caput suum,

suum, vos propriam salutem. Columbae  
sine felle sunt, vos sine inordinata pas-  
sione.

Punct. 3. *Cavete autem ab homini-  
bus.* Matth. c. 10. Insidiatoribus, qui  
vobis per interrogationes perplexas & po-  
liticas tendent infidias, vel ex ore vestro  
elicit aliquid contra leges aut Reges, ut  
vos accusent: omnia enim, quæ locuti fue-  
ritis in cubiculis, prædicabuntur in tectis.

## MEDITATIO CLXVIII.

Punct. 1. *Eritis odio omnibus gen-  
tibus.* Matth. c. 24. Quia fidem meam,  
& veritatem meam, & studia virtutum  
prædicabitis, & malis malorum conati-  
bus, dictis, factis, injustitiis, luxibus, lu-  
xuriis resistetis. Sed hæc est summa vestra  
gloria, si omnia ista propter me sustinue-  
ritis. Ego ero merces vestra magna nimis.

Punct. 2. *Quoniam abundauit ini-  
quitas, refrigescet charitas multorum.*  
Matth. c. 24. Quasi diceret: Ubi nul-  
la charitas, ibi superabundat iniquitas.  
Charitas ignis est. Deficiente hoc igne se-  
quitur necessariò frigus. Ardes? ergo be-  
nefacis. Ardes erga omnes sine exceptio-  
ne? ergo omnibus benefacis sine exce-  
ptione.

Punct. 3. *Qui autem perseveraverit*  
G 5      usque

*usque in finem, hic salvus erit. Matth. c. 24.* Ut ignis iste perseveret, necesse est, ut identidem ligna superaddas. Ligna hæc sunt operà fervoris inter irruentes ventos & turbines afflictionum, contradictionum inter filios hujus seculi & falsos fratres, qui non cessabunt aquas affundere, ut ignem tuum extinguant.

## MEDITATIO CLXIX.

Punct. 1. *Gaudebit cor vestrum.*

*Ioan. c. 16.* Magna gaudii nostri causa est, quod vera Dei cognitione per fidem supernaturalem imbuti simus. Et hoc est fundamentum justificationis nostræ. Quam multi hoc gaudio carent! quam nullum hujus gaudii meritum attulimus! Si in Tyro & Sidone facta fuissent, quæ facta sunt in te, quid fecissent?

Punct. 2. *Gaudebit cor vestrum.*

*Ioan. c. 16.* Scilicet, quod sis à statu peccati mortalis vel præservatus omnino, vel Dei ope liberatus. Quot præservati non sunt! quot post peccatum statim damnati! Quoties tibi Deus ignovit? quamdiu te expectavit? An ita vivis, ut perseverantium sperare possis?

Punct. 3. *Gaudebit cor vestrum.*

*Ioan. c. 16.* Quod sis ad Dei obsequium ē mundo translatus, & ad conscientiæ bonæ securitatem exultus. Quan-

Quanta felicitas ! Deo calle imperturbabili posse servire ! extra pericula, si ipse non queras, tranquille vivere ! tot adjumentis ad sanctitatem circumvallari !

## MEDITATIO CLXX.

Punct. 1. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Joan. c. 15.* O Veritas ! impellens nos ad adorandam Divinam in nos bonitatem ! Millions hominum sunt, qui hanc gratiam non habuerunt, quam nos habemus. O veritas ! aperiens nobis abyssum infirmitatis nostræ ! Quid ageremus, si in Turcia, in Africa &c. nati essemus ? idem, quod nunc illi.

Punct. 2. *Posuit vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Joan. c. 15.* Fructus, ad quem nos Deus juxta vocationem nostram posuit, debet esse solidus & habens firmitatem, quantum in nobis est. Quare nihil deproperemus, nihil temerè aggrelianur, omnia usque ad finem consideratè, & efficaciter urgeamus.

Punct. 3. *Odio habuerunt me gratias. Joan. c. 15.* Instruit nos Christus, quomodo nos geramus, quando subituri sumus odia hominum sine omni data causa, imò pro beneficiis, laboribus & sudoribus. Nunquam tamen credamus, nos infructuosè laborasse, quando pro Deo

**iaboravimus, etiam si fructus optatus non sequatur.**

## MEDITATIO CLXXI.

Punct. 1. *Ego sum Pastor bonus.*

**Joan. c. 10.** Pastor bonus nunquam defserit oves suas. Sic tu nullum neglige, curæ tuæ commissum; nullum ab amore tuo exclude; nullum contemne, utut vilis & abjectus sit. Sic Christus, Pastor optimus, haec tenus etiam tui curam amorosam habuit. Sæpe, quos ferme negligimus, præstantiores viri evadunt, quam quos tenerè amavimus.

Punct. 2. Pastor bonus de bonis pascuis ovibus suis providet. O! quæ possent esse meliora pascua, quam ea, quæ Christus Ecclesiæ providit? septem nimirum Sacramenta, & omnis generis occasiones in meritis pinguescendi. Sic & tu nihil aggredere, nisi studiose præparatus ad bonum tuum, & proximi. Stude utiliter laborare, ne videaris tentare Deum.

Punct. 3. *Ego sum Pastor bonus.*

**Joan. c. 10.** Pastor bonus defendit suas ovinas, & infirmas portat humeris suis. Pone te ut murum pro defensione innocentum, & cum omni patientia & amore sove debiles, denique non defatigeris in supportandis tuorum defectibus. Ubi es, si Christus te dereliquerisset?

## MEDITATIO CLXXII.

Punct. 1. *Ante oves vadit, & oves illum sequuntur quia sciunt vocem ejus.*

*Joan. c. 10.* Christus omni statui hominum se præbuit exemplum. Oves, boni Christiani, maximè Religiosi sequuntur cum proportione hoc exemplum. Dignoscunt vocem Christi à voce mundi ex amorofo affectu & inclinatione ad Pastorem suum.

Punct. 2. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* *Joan. c. 10.*

Vitam abundantem præstantissimis mediis ad salutem, & longè pluribus, quam Patres antiqui Testamenti, SS. Sacramentis, Sacrificio Missæ, Doctoribus, & libris, exemplis innumerabilium Sanctorum, Statu Religioso & Regulis &c. Quæso, quid tibi deest ad salutem?

Punct. 3. *Bonus Pastor animam suam dat pro oibus suis.* *Joan. c. 10.* Sicut Pastor bonus oves singulas cognoscit, curat, compellat &c. sic & Pastor animarum singulas suæ curæ commissas agnoscat, cureret, instruat, moneat, dirigat tali amore, ut paratus sit etiam vitam pro iis ponere. Quid posset esse gloriostius tibi, pro tuâ aut tuorum animâ mortem oppetere?

## MEDITATIO CLXXIII.

Punct. 1. *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere. Joan. c. 10.* Prædictit hic Christus conversionem gentium. Nos intelligamus curam hominum degenerum, gravium peccatorum, qui ad ovile Christi à nobis adducendi sunt. Nullius te laboris pœniteat aut pudeat pro salute animarum, pro qua Christus vitam suam dedit.

Punct. 2. *Et sicut unum ovile, & unus Pastor. Joan. c. 10.* Ex Judæis & gentibus, & gravissimis peccatoribus. Nemo contemnatur. Qui hodie est extra ovile, cras intra illud esse potest; & qui modò est intra ovile, cras extra illud esse potest. Et quod sis in ovili, miserentis Dei favor est, quem omnibus precare. Cogita, quod multi tecum in ovili futuri sint, quos modò vix aspicis.

Punct. 3. *Unus Pastor. Joan. c. 10.* Unum sequimur omnes Religiosi, ad unum trahimus alios, ad unum finem omnes tendimus. Nulla proin sit discordia inter nos, cum nullo æmulemur, de nullo male loquamur, omnes in Domino amemus, omnium errores excusemus, aut tegamus. Ne quæso sit jurgium inter me & te, & inter pastores meos, & Pastores tuos: fratres enim sumus. Gen. c. 13.

## MEDITATIO CLXXIV.

Punct. 1. *Cognosco oves meas.* & cognoscunt me meæ. *Ioan. cap. 10.* Pastor cognoscit oves suas ex lana, colore, corporis compositione &c. Vide num Christus te possit cognoscere ex morum, vultus, oculorum, incessus compositione tali, qualis decet ovem Christi? Multum dependent interiora ab exterioribus. Hæc male composita produnt interiora.

Punct. 2. *Cognosco meas.* Oves Christi manent in illo loco, in quem eas Christus educit, ut ibi pabulum sumant. An tu libenter manes eo loco, in quo te collocat obedientia? ad omne officium resignatus? Victu, vestitu, habitatione contentus? an ipse tibi pascua eligis? an oculis Christi te subtrahis?

Punct. 3. *Cognosco meas;* nimirum ex voce: ovium enim Christi alia vox est, quam non ovium Christi. An vox tua vox Religiosi est? an illa quoad tempus, materiam, gestum talis, quæ Religiosum deceat? nulli tuorum gravis? omnibus ad ædificationem? spiritualis? Erubescant dicere de absente, quod cum charitate non possent dicere coram ipso.

## MEDITATIO CLXXV.

Punct. 1. *Hoc autem ab initio vobis non dixi. Joan. cap. 16.* Studiosè Christus de sua morte & futuris persecutib[us] nihil dixit in principio vocatio[nis], sed expectavit, dum successivè in spiritu roborarentur Apostoli. Idem facit DEUS intrantibus certum vitæ statum; sensim autem suâ gratiâ disponit ad altiora. Omnes parvuli lac potum habent, sensim durioribus affuescunt.

Punct. 2. *Absque Synagogis facient vos. Joan. cap. 16.* Sic impii & libertini excludunt probos à suis conventionibus, machinantur in angulis suas malitias, in faciem etiam insultant, protervè obloquentes Christianis & Religiosis principiis. Fuge hos clancularios, & noctipetas amicos, ac unionis Religiosæ turbatores.

Punct. 3. *Tradet frater fratrem in mortem. Matth. cap. 10.* Quām turpe est hoc in Religione, quando Religiosus potest dicere: Filii matris meæ pugnaverunt contra me! nempe fratres mei. Væ hujusmodi charitatis fraternæ violatoribus! Væ seminantibus discordias in communitate! Væ omnia observantibus, præterquam se!

## MEDITATIO CLXXVI.

Punct. 1. *Pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Joan. cap. 14. Apprecatur Christus pacem suam, id est, amicitiam cum Deo; tranquillitatem & serenitatem animi in temptationibus & persecutionibus; mutuam inter nosmetipos concordiam. Hæc omnia mundus dare non potest. Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.

Punct. 2. *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Joan. cap. 14. Videbat Christus ob suum prædictum abitum Apostolos tristes; ideo eos consolaturus ait: Vado, & venio ad vos. Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum; quia veniens veniet, & non tardabit. Pulchrè S. P. Ignatius in Epistola Consolatoria: Si DEUS cor nostrum ex integro possideret, cùm Deum, nisi velimus, perdere non possumus, nihil posset accidere, quod nos affligeret. Totus enim dolor inde nascitur, quod perdidimus, aut perdere timeamus, quod amamus.

Punct. 3. *Et nunc dixi vobis, præsisquam fiat, ut, cùm factum fuerit, credatis.* Joan. cap. 14. Prædictiones, promissiones, assurancees Christi habemus & nos in Scripturis. Totus noster defectus est, quod non firma fide illis inhaereat.

hæreamus, & confidamus. Bene nota: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Fidelis & verax est.

## MEDITATIO CLXXVII.

Punct. I. *Non valebant illud trahere præ multitudine piscium.* Joan. c. 21. Ad imperium Christi fuit piscatio Petri felicissima. Nihil facias, quia nihil efficies, sine voce obedientiæ. Considera etiam suavissimum Christi amorem erga suos, quibus in littore paravit prandium, ad quod illos invitavit: Venite, prande-te! Quām felix, quem amat Jesus!

Punct. 2. *Dominus est.* Joan. c. 21. Joannes ex intimo amore sensit præsentiam Christi præ aliis suis sociis. Quamprimum Petrus à Joanne audivit, Dominum stare in littore, misit se in mare, & ad Dominum festinavit, quasi alis amoris, non patiens navigii moram. An eodem affectu ad ea, quæ Christi sunt, raperis?

Punct. 3. *Et venit Jesus, & accipit panem, & dat eis, & pisces similiter.* Joan. cap. 21. Quanta familiaritas Christi erga suos rudes, pauperculos, laborantes discipulos! quanta charitas! Imitare Christum in agendo cum proximis, maximè domesticis. Ferreus fit, qui

qui non moveatur ad sinceram charitatem & humanitatem.

## MEDITATIO CLXXVIII.

Punct. 1. *Pater venit hora , clarifica Filium tuum , Joan. cap. 17.* nimirum per instantem passionem , quæ fuit opus toti mundo admirabile , & summè necessarium : quia per passionem mundum reconciliavit DEO , peccatum ablevit , diabolum vicit , mortem destruxit , vitam & gloriam nobis procuravit. Et tu grata mente clarifica Redemptorem tuum.

Punct. 2. *Clarifica Filium tuum* per Resurrectionem , Ascensionem , Sessionem ad dexteram Patris , Missionem Spiritus Sancti : hæc enim omnia sunt glorioissima remuneratio exantlatorum laborum & dolorum Christi. Ut & tu glorificeris , labora & patere pro DEO. Quid & quantum? pro mensura amoris.

Punct. 3. *Clarifica Filium tuum* , ut totus mundus agnoscat , me , Filium Dei , passum & mortuum pro justificatione illius , ut salvetur per me. Audivit eum æternus Pater , & à solis ortu usque ad occasum laudabile fuit Nomen ejus. Incepit hæc laus jam in decensu ex monte Calvariæ: Verè hic Filius Dei erat ; & per totum orbem eadem resonat. An aliquid insigne ad Dei gloriam fecisti?

ME-

## MEDITATIO CLXXIX.

Punct. 1. *Ipse enim Pater amat vos.*

*Joan. cap. 16.* Dulce tibi est, ab aliquo amari, præsertim majore, potentiore, gratiore, & multo studio hunc amorem prensas. Quare non prensas amorem Dei Optimi Maximi &c. cum tamen hujus amorem longè certius possis obtinere, quam hominis? eumque longè dulcioram, sanctiorem, utiliorem?

Punct. 2. *Ipse enim Pater amat vos.*  
Quid inde habes, si amaris a majore, potente &c. homine? quandoque nihil, præter aliquem transitorium affectum, quandoque aliquam promotionem, quandoque nihil. A DEO autem habes affectum perpetuum, promotionem summam, dulcedinem infinitam, omnia æternum.

Punct. 3. *Quia vos me amatis.*

*Joan. cap. 16.* In quo ostenderunt discipuli amorem suum erga Christum? In affectu reverentiali, in auditione attenta, in obedientia prompta, in prædicatione Evangelii, in affectu erga pauperes, in contemptu totius mundanæ vanitatis. Et tu fac similiter, ut ameris a Patre.

## MEDITATIO CLXXX.

Punct. 1. *Si duo ex vobis consenserint, Matth. cap. 18.* De omni re, quam-

quamecumque petierint, fiet illis à Patre  
meo. Tanti est apud Deum consensus &  
unitas fratrum. Benedicta domus, in qua  
est sancta unio! Vide, ne hanc unionem  
turbes aculeatis dictis, inutilibus quere-  
lis, ineptis imaginationibus &c.

Punct. 2. *Siduo ex vobis consenserint.*

*Matth. cap. 18.* Hi duo sunt Superior  
tuus & tu. Si hi duo consenserint, bene-  
dictio DEI super illos & pax! Licet tibi  
a sterre rationes & difficultates tuas. His  
auditis & non exauditis, consenti Supe-  
riori tanquam Vicario Christi. Hi duo  
sunt tu & frater tuus, qui forsitan non est ad  
tuum genium. Grandis res! illos dili-  
gere, qui sunt ad genium!

Punct. 3. *Ibi sum in medio eorum.*

*Matth. cap. 18.* Estne discursus tuus  
talis, ut Christum mereatur habere me-  
dium? Esne inter duos, qui sunt con-  
gregati in nomine Christi? an potius inter  
eos, qui sunt seminatores discordiarum?  
Auderésne ita loqui aut agere præsente  
Christo in medio? Multum proficies, si  
semper Christum in medio præsentem co-  
gitas.

## MEDITATIO CLXXXI.

Punct. 1. *Magister, quod est man-  
datum magnum in lege?* *Matth. c. 22.*  
Sciebat Christus nequitiam interrogantis,  
& tamen placidissimè respondit, quasi  
nihil

nihil adverteret. Confer hic tuos in respondendo aculeos , acrimoniam affectus , accentus , & dictorum vehementiam , si paulò acerbius interrogaris. Magnum virtutis testimonium est , in subitis casibus sibi esse præsentem.

Punct. 2. Mandatum magnum est mandatum amoris. Magnum saepe dubium esse potest , an , cum te amare Deum dicis , non ex timore aliqua facias , aut omittas. Magnum quid est amare DEUM pure propter se : utut enim Deus id summè meretur , saepe tamen nostrī causā tantūm amamus.

Punct. 3. Proximi dilectio se prodit in amovendis à dilecto malis , in conferendis in eum beneficiis , in lætitia de bono rerum ipsius successu , in mœrore de malo ; idque eo nec rogante , nec cogitante sentiunt in se , & faciunt illi , qui verè eum amant.

## MEDITATIO CLXXXII.

Punct. 1. *Et ipsi observabant eum.*  
*Luc. cap. 14.* Invitârunt Pharisæi Christum ad manducandum , ut observarent eum. Sic faciunt Politici hujus mundi , specietenus benevolentiam exhibent , malignum autem animum tegunt , quo calumniari possint. Ne duplex sis animo , & ne alios observes ad carpendum : indignum enim hoc Viro Religioso est.

Punct.

Punct. 2. *Licetne Sabbatho curare?*

*Luc. cap. 14.* Potuisset Christus hydropicum statim sanare ; prudentissima tamen suavitate interrogavit observantes Pharisæos , an liceat Sabbatho benefacere ? & deinde per exemplum cadentis in puteum asini probat , licere. In quocunque demum statu fueris , non summo semper jure age, sed age cum omni mansuetudine , ut omnia fiant sine offensione.

Punct. 3. Hac allata Christi probatio ne conticuere Pharisei , utut alias elati. Fugiendæ sunt contentiones , quæ non nisi ex pertinacia oriuntur. Non abundes in tuo sensu , nec altercare in publicis & privatis congressibus ; præsertim si non amplius pro veritate , sed pro affectata victoria pugnandum est.

## MEDITATIO CLXXXIII.

Punct. 1. *Qui perseverarit usque in finem , hic salvus erit.* *Matth. c. 10.* Media ad perseverantiam sunt fuga peccati & occasionum ejus , sensuum custodia , carnis maceratio , sincera sui manifestatio , rectus usus SS. Sacramentorum , diligens meditatio , magna cum Divina Majestate conjunctio , specialis amor erga Beatissimam Virginem , magna liberalitas erga animas defunctorum.

Punct. 2. Perseverantiæ insidiatur inconstantia , quæ maximè evertit nostra pro-

proposita , ut , quod ferventer & prudenter proposuimus , ob leves & putidas causas omittamus. Quare identidem renovare oportet spiritum in aliqua collectione , etiam horariâ tantum , & piis cœptis insistere.

Punct. 3. Ipsa quandoque naturalis constitutio fervorem nostrum moratur ; quandoque se D E U S nonnihil occultat , ita ut nosmet ipsos ad prosecutionem operis cogere debeamus. Tunc enim verò nihil omittere oportet , etiam si omnia videantur exsucca , pressa , & insipida. Colliget se denuo natura , & DEUS faciem suam ostendet.

## MEDITATIO CLXXXIV.

Punct. 1. *Ubi est thesaurus tuus , ibi est & cor tuum.* Matth. cap 6. Est enim anima magis ubi amat , quam ubi animat. Noli habere alium thesaurum , quam indeficientem , quem nemo possit molenti eripere. Noli vagari per multa bona , sed illud bonum ama , in quo est omne bonum. Hoc non amato super omnia , amittes omne bonum.

Punct. 2. *Nemo potest duabus Dominis servire,* Matth. cap. 6. intellige , contrariis. Servit , quisquis amat. Deumamas? D E O servis. Creaturam amas cum offensione creatoris , creaturæ servis. Quid magis fatuum , servire malle crea-

creaturæ, quām Creatori? servo, quām Domino? mendico, quām omnium rerum Potenti?

Punct. 3. Nonne anima plūs est quām esca? & corpus plūs quām vestimentum? Quid ergo plūs angeris de omnibus aliis, quām de DEO tibi placando? quare omnia diligentius curas, quām Dei servitium? cur omnium amorem ferventius aucuparis, quām Dei? non amas animam tuam.

## MEDITATIO CLXXXV.

Punct. 1. *Qui non renunciat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.* Luc. cap. 14. Nudos nudum Christum sequi nos oportet, ut nihil reperiant mundani, quod suum sit. Et ideo beati pauperes spiritu, qui, cùm re ipsa non possint omnibus carere, affectu tamen omnia relinquunt. Si aliquid ægrè dimittis, perfectè pauper non es.

Punct. 2. *Hic homo cœpit edificare, & non potuit consummare.* Luc. cap. 14. Bene incipiunt multi, proponunt optimè, profitentur publicè; sed quia in progressu ob difficultates lassescunt, aut in societate tepidorum frigescunt, à suis propositis, & votis, ac denique à Christo desistunt. Quotidie oportet renovare spiritum.

Punct. 3. *Qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Luc. cap. 14. Suam quisque crucem debet bajulare, non à se electam, sed à Domino commensuratam. uni crux est sua infirmitas, alteri humilitas officii; uni invitus Superior, alteri socius molestus; uni tentatio absurdula, alteri persecutio. Quod cuique grave est, crux est. Hanc ferre debet.

## MEDITATIO CLXXXVI.

Punct. 1. *Quocunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.* Joann. c. 14. Hinc Ecclesia plerasque orationes suas concludit: Per Christum Dominum nostrum; vel allegando apud Æternum Patrem merita, & passionem Filii. Summus autem inter Patrem & Filium sumam nobis facit confidentiam. Quando autem oras, sic temetipsum considera, tanquam præsentatum Domino Majestatis, ut confidentiæ semper jungatur reverentia.

Punct. 2. *Cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* Joann. c. 14. Ego sum in patre meo per unitatem Divinæ essentiæ idem cum Patre Deus; vos in me per amorem, curam & custodiæ, quâ vos comple-

plexor; ego in vobis per gratiam meam vos inhabitans, illuminans, & dirigen-  
gens ad omne bonum, & ad vitam æternam in cœlis.

Punct. 3. *Qui autem diligit me, di-  
ligetur à Patre meo, & ego diligam  
eum, & manifestabo ei meipsum, Joan.  
cap. 14.* in hac vita per clariorem in-  
dies mei, mysteriorumque meorum &  
donorum cognitionem practicam, quâ  
Sancti gustant & sapiunt Christum, quâm  
dulcis sit Dominus; & ideo in gratitudi-  
nis, laudis, amoris & jubilationis affe-  
ctus erumpunt.

## MEDITATIO CLXXXVII.

Punct. 1. *Nescitis, quid petatis.*  
*Matib. cap. 20.* Petierunt per matrem  
suam Joannes & Jacobus primas dignita-  
tes in regno Christi. Quo jure? consan-  
guinitatis. O quâm inepta sunt desideria  
nostra! quâm vana media & viæ, qui-  
bus ad promotiones utimur! quâm lon-  
gè nobis est melius, non exaudiri! Nil  
sanguis, nil favor, sed merita valent  
apud Deum.

Punct. 2. *Potestis bibere calicem,  
quem ego bibiturnus sum, Matib. c. 20.*  
Mundus respicit ad personas, DEUS ad  
Opera. Tantum vales apud Deum, quan-  
tum

tum pro Deo laborasti. Apud Deum nemo crescit ex alieno sudore.

Punct. 3. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Matth. cap. 20.

*Qui spiritu Christi aguntur, omnium se minimos agnoscunt; qui mundi, super omnes volunt excellere. Qui minimos se agnoscunt, omnia, quæ volunt, à Deo impetrant; qui se exaltant, nihil. Dat Deus indigentibus, & se indigentibus agnoscentibus.*

## MEDITATIO CLXXXVIII.

Punct. 1. *Petite, & dabitur vobis, querite & invenietis, pulsate & aperietur vobis.* Luc. cap. 11. Interim nec datur nobis, nec invenimus, nec aperitur nobis. Quare? quia nostra oratio sæpe est mera recitatio. Non assequimur sensum; non attendimus ad personam, cui loquimur; non agimus seriò, sed ex consuetudine; properamus ad aliam. Deum, quem ex animo querit, ubique invocans invexit, & invento persuadet.

Punct. 2. *Propter importunitatem tamen surget, & dabit illi.* Luc. c. 11. Propter perseverantiam in orando multa impetramus: ideo enim non statim dat Deus, ut magis penetremus indigentiam nostram, & insufficientiam, imo ut & magis mereamur id, quod petimus. Qui au-

autem ad orationem est negligens , suæ ingratitudinis & tepiditatis est testis.

Punct. 3. *Vos cum sitis mali , nōstis bona data dare filiis vestris : quantè magis Pater vester de cœlo ? Luc. c. 11.*  
 Pater , eò quod sit pater , dat filiis suis , quæ petunt , utut aliæ bonus non sit. Pa-  
 ter autem cœlestis , cùm sit essentialiter  
 bonus , utique dabit nobis , si petamus  
 cum ea fiducia , quæ filios decet tanti  
 Patris , & ea petamus , quæ deceant tan-  
 tum Patrem. Modò non poneremus spes  
 nostras in aliis !

## MEDITATIO CLXXXIX.

Punct. 1. *Mens cibus est , ut faci-  
 am voluntatem ejus , qui misit me , ut  
 perficiam opus ejus. Joan. c. 4.* Sicut  
 famelicus iñhiat cibo corporali , ita ani-  
 ma Deum amans desiderat placere D E O  
 per sua opera , ut perficiat , hoc est , per-  
 fectè faciat opus ejus , opus vocatio-  
 nis suæ. Et D E U S nihil libentiūs dat .  
 quam si ab ipso hoc petatur.

Punct. 2. *Qui merit , mercedens  
 accipit , & congregat fructum in vitam  
 eternam. Joan. c. 4.* Aliæ messores  
 fructus non faciunt suos ; in messe autem  
 Domini ipsi fructus sunt fructus messo-  
 rum. O quam fructuosi & pretiosi sunt  
 labores & sudores nostri , si huic Domino

*laboramus ! Ab ipso benedictionem petamus , qui incrementum dat.*

Punct. 3. *Alius est , qui seminat , & alius , qui metit. Joan. c. 4. Deus seminat , nos metimus. Nemo sibi adscribat conversionem animæ , aut incrementum spirituale: Deo totum debetur. Nos instrumenta sumus , & quandoque multum impedientia Deum & homines ; id quod cum rubore agnoscamus.*

## MEDITATIO CXC.

Punct. 1. *Iterum relinquimus mundum & vado ad Patrem. Joan. c. 16. Id ipsum dic quotidiie, Quomodo ? Relinque ea, quæ mundani amant & quærunt. Relinque mundum imperfectum , quo mundani Deum , & proximum amant. Relinque finem , quem in operibus suis sibi præfigunt.*

Punct. 2. *Iterum relinquimus concupiscentias ejus adducentes me ad peccatum ; conversationem nimiam inducentem vanitates ; distractiones illius impedientes sanctam solitudinem & internam animæ curam.*

Punct. 3. *Et vado ad Patrem : nam totum iter vitæ meæ debet esse directum ad meum Patrem , qui me creavit propter se , ut eum laudem , eum amem , ei serviam , & tandem ad ipsum perveniam æternum beatus. Vado ad Patrem quotidianie*

die sæpius memor æternorum, & contem-  
ptor transitoriorum: non enim habeo hic  
manentem civitatem.

## MEDITATIO CXCI.

### De Ascensione Domini.

Punct. I. *Assumptus est in cælum.*

*Marc. c. 16.* Duxit Christus disci-  
pulos suos in montem Oliveti, ascensurus  
in cælum ex eo loco, in quo incepit pas-  
sionem suam. Quām lætis oculis aspexit  
locum hunc! O quam gaudebimus & nos,  
si multa propter Christum passi fuerimus  
in monte Oliveti, in scholis, in cathedris,  
in cubiculis &c.

Punct. 2. Reliquit Christus in monte Oli-  
veti vestigia sua, quæ omni hominum sta-  
tui quadrant: quia nemo est, qui in Chri-  
sto non aliquid videat, quod imitetur.  
Hæc rectissima ad cælum via est, ingredi-  
viam Oliveti, viam orationis, viam re-  
signationis, viam tristitiae pro peccatis,  
viam comprehensionis & persecutionum.

Punct. 3. *Sedet à dextris Dei.*

*Marc. c. 16.* Quantum exaltata est na-  
tura nostra in Christo! Quām potentem  
habemus Advocatum apud Patrem! Osí  
ille ostendat Patri vulnera sua, quid non  
speremus? Ad summam hanc exaltatio-  
nem duxit Christum summa humiliatio.  
*Quanto magnus es, humilia te in omni-*

*bis, & coram Deo invenies gratiam: quoniam magna est potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.* Eccl. c. 3.

## MEDITATIO CXCII.

Punct. 1. *Mittam eum ad vos,*  
*Ioan. c. 16.* scilicet Spiritum Sanctum, & quidem in specie linguarum ignearum. Est ignis elementum purissimum, nullas frides aut maculas in se habens, & in aliis etiam consumens. Consumeret etiam in te, si non tam tenaciter illis inhæreres.

Punct. 2. Ignis est lucidus. Spiritus Sanctus mera lux est, illuminat omnem hominem, qui aperti, sinceri & veracissimi pectoris est. Nulla sit in te falsitas, nullus politicismus, nulla duplicitas. Age cum omnibus quidem meditatè, cautè & providè. Fidem aut non da, aut serva.

Punct. 3. Ignis sursum tendit. Et quid aliud vult Spiritus Sanctus, quam sursum corda! Non multum ignis est in corde tuo, si raro aut difficulter ad spiritualia & cœlestia ascendis. Bruta prono in terram vultu incedunt, homines autem ad fidera faciem erigunt, ad altiora nati sunt. Patriam suspice, & exilium non amabis.

## MEDITATIO CXCIII.

Punct. 1. *Docebit vos omnem veritatem.* *Ioan. c. 16.* Sicut ignis calefacit

clit & accedit res sibi propinquas, ita qui Spiritu Sancto pleni sunt, omnes excitant ad amorem Dei & fervorem in spiritu. Ipsa instruuntur a Spiritu Sancto in omni veritate, & instruunt alios, sicut ignis ignem propagat. Ignis non discernit inter ligna nobiliora.

Punct. 2. Sicut ignis non habet in se ullam humiditatem, & res humidas exsiccat, ita Spiritus Sanctus exsiccat humorem libidinis, & aridum reddit cor ab omnibus illecebris carnalibus. Duo amores sunt duo ignes; unus amor sanctus, alter profanus. Sanctus longè potentior est, & ubi admittitur, extinguit profanum: admittitur autem a castis, cautis, mortificatis.

Punct. 3. Ignis etiam durissima metalla liquefacit. Quid non facit Spiritus Sanctus in cordibus etiam durissimis? emollit, lacrymas elicit, ebullire facit in calidissimos affectus. Projice etiam tu cor tuum in hunc ignem. Non sis Pharao induratus, qui non velis dimittere populum ad sacrificandum Domino, scilicet obligationes tuas plurimas observare.

## MEDITATIO CXCIV.

Punct. 1. *Spiritus est, qui vivificat, caro autem non prodest quidquam. Iohann.*  
c. 6. scilicet ad vitam spiritualem animæ: nam caro & ejus commoda retardant, aut omnino impediunt animam in operando. Hinc S. Paulus: Spiritu ambu-

Iate, & desideria carnis nōn perficietis.  
O quām multa omittimus, ne pigrum cor-  
pus nostrum offendamus!

Punct. 2. *Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retrò, Joan. c. 6.* quia spiritualem Christi doctrinam non volebant capere, & juxta sua carnalia principia procedebant, scholam Christi dese-rebant. Sic multi mittunt manum ad aratrum, ad laborem, & respiciunt retrò ad suum otium & commoditates.

Punct. 3. *Nunquid ē vos vultis abi-  
re? Joan. c. 6.* Ah non, respondit Petrus, Domine ad quem ibimus? verba vitae æternæ habes. Qui verè Christi spiritu aguntur, adhærent Christo indissolu-biliter: quia schola illius schola virtutis est, quæ sola dat quietam satietatem & cer-tam spem salutis æternæ, Ibimusne à vi-ta ad mortem?

## MEDITATIO CXCV.

Punct. 1. *Docebit vos omnem veri-  
tatem. Joan. c. 16.* Sicut ignis omnia con-sumit & redigit in pulverem, ita Spi-ritus Sanctus viros sanctos eò redigit, ut se vilissimos & tanquam pulverem repu-tent, deprimi, ac planè conculcari cu-piant. Tu contrà contemnentibus indigna-tis, laudes tuas ipsej própalas, suas aliis invides.

Punct. 2. Sicut ignis non potest abscondi, sed demum erumpit, ita vir spirituialis, solido spiritu imbutus, non potest ab adversitatibus suppressi, non ab occasiobus imperfectionum aut occupationibus distractivis, non ab honoribus, favoribus, deliciis &c. ardet constanti lumine, & identidem oleum affundit novi fervoris.

Punct. 3. Sicut ignis omnem materiam combustibilem aggreditur, ita vir spirituialis ubique suam virtutem exerit. Non alligatur loco, personæ, muneribus speciosis, non detrectat vilia, casas; ubique Deum quærit, & invenit.

## MEDITATIO CXCVI.

Punct. 1. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus. Joan. c. 14.* Sicut ignis res crudas excoquit, maturas, sapidas facit, ita Spiritus Sanctus sua consolatione & calore cruditatem aufert desolatis & afflictis; crucem, quæ eis prorsus erat insipida, sapidam & acceptam facit. Forsam hanc virtutem non expertus es, quia posuisti obicem. Quem?

Punct. 2. Sicut ignis expurgat & probat aurum, ita Spiritus Sanctus expurgat & probat affectus nostros. Auro adhæret lumen & scoria, affectibus nostris etiam sanctis se miscent quandoque sensualitates, vanitates, propria commoda. Projice, omnia ista in ignem per generosas victorias, & puras intentiones.

Punct. 3. Sicut ignis requirit materiam aptam, quâ identidem foveatur & conservetur : ita Spiritus Sanctus requirit cor ad ardendum aptum, fiet autem aptum per diligentiam spiritualem & accuratum studium quotidianarum actionum.

## MEDITATIO CXCVII.

Punct. 1. *Ecce ego vobiscum sum.*

*Matth. c. 28.* Ascendit in cœlum Christus, & tamen manere nobiscum voluit in terris. Quare? pro solatio: si tamen vera fide sœpe ad eum invisiimus: dein pro auxilio: expectat enim preces nostras sedens in tabernaculo, tanquam in throno gratiarum.

Punct. 2. *Ecce ego vobiscum sum.*

*Matth. c. 28.* ut cum eo negotia nostra transfigamus in via, antequam veniamus ad Judicem, apud quem nihil amplius remittetur. Quare sœpius accedamus, & deprecemur debita nostra, dum veniæ locus & tempus est.

Punct. 3. *Ecce ego vobiscum sum.*

*Matth. c. 28.* Cogita, quid Christus cogitet, quando solus est in templo? Forsan: Si me nōscent homines! O si scirent divitias præsentiae meæ! O si perpenderent charitatem meam, quâ illos hic exspecto! O quâm teneriore affectu ad amicos & amicas accedunt, quâm ad me?

## MEDITATIO CXCVIII.

Punct. 1. *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Ioan. c. 8.* Unde tu es? Si tua interna desideria, timores, tristitia, lætitiae, odia, sermones ad superna sunt, de supernis es: si autem similia sunt hominibus terrenis, & mundanis, de deorsum es. Amor meus, pondus meum: eò feror, quocunque feror. Quæstio est, quis sit amor tuus?

Punct. 2. *Multa habeo de vobis loqui & judicare, Ioan. c. 8.* sed ista distulit Christus ad judicium. Hoc tamen non expecta, & inquire, quænam illa fuit, quæ tu præteris, Christus autem annotat? Sine palpo nunc judica, ut non judiceris à Christo. Ascendit ad cœlum, sed redibit judicare vivos & mortuos.

Punct. 3. *Qui facit peccatum, servus est peccati. Ioan. c. 8.* Obedit scilicet suæ passioni, & dicit Deo: non serviam. Velut jumentum circumducitur à suis concupiscentiis capite in terram inclinato. Christus ascendit ad cœlum, nobis ostendens viam, quâ tendere debemus, ad libertatem nimirum & hereditatem filiorum Dei.

## MEDITATIO CXCIX.

Punct. 1. *Sicut dilexit me Pater, communicando mihi suam Divinitatem,*

ut simus idem per identitatem, et ego dillexi vos communicando vobis omne quod sum per unionem amoris in SS. Eucharistia. Hæc verba utique nos obligant, ut quisque dicat: Do tibi Domine, quidquid sum & habeo ad omnem nutum & beneplacitum tuum.

Punct. 2. *Manete in dilectione mea.*

*Ioan. c. 15.* Scilicet, id quod ore dicitis, etiam opere præstate, nihil excipiendo, quod mihi non detis, et si Isaacum vestrum (id quod vobis est charissimum) peterem, & hunc mihi non negate.

Punct. 3. *Ut unum sint, sicut & nos,* in amore perfectissimo, qui inter te Patrem, & me est Spiritus Sanctus, ita nos homines per amorem & omnimodam sanctitatem unum simus cum Deo, & omni eo, quod Deus propter se vult diligi. Sed quot sunt, qui hoc centies dicendo semper tamen sibi aliquid reservant, cum ad rem venitur.

## MEDITATIO CC.

Punct. 1. *Arguet mundum de peccato.*

*Ioan. c. 16.* Spiritus Sanctus amplissimam materiam habet arguendi de peccato mundum in omni statu. Quam in te? Forsan non minimam, quod ejus gratiis tam tepidè utaris? ejus amicitiam maiorem non prenses? ad perfectionem non tendas?

Punct.

Punct. 2. *De justitia, Joan. c. 16.*  
 quod non procedatur juxta merita, sed secundum affectum; quod ipsae justitiae nostrae multis foedatæ sint sordibus, venales, affixæ nostris passionibus, præjudiciis, suspicionibus &c.

Punct. 3. *De judicio, Joan. c. 16.*  
 quod de aliis temere judicemus; quod in aliorum vitam curiosè inquiramus; quod secundum faciem judicemus; quod nostras actiones aliorum actionibus præferamus; quod omnia nostra laudari velimus; quod nosmet ipsos non judicemus.

## MEDITATIO CCI.

### In Festa Pentecostes.

Punct. 1. *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Joan. c. 4.* Hoc est, in omnimoda animæ applicatione est cum Deo agendum, & ita sincerè, sicut decet illum, qui verè credit, Deum intima penetrare.

Punct. 2. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, Sap. c. 1.* nimis sapientia, quæ est primum donum Sancti Spiritus. Hæc sapientia instruit nos in cognitione Dei & attributorum ejus, & causat in nobis magnam æstimationem rerum spiritualium; quoniam Deum agnoscere &

& omnia, quæ ad Deum ducunt, summi aestimare, summa sapientia est.

Punct. 3. Deinde intellectu, quod est secundum donum S. Spiritus. Et hoc instruit hominem in mysteriis fidei, & in ejus obsequium intellectum captivat, ut credat ea, quæ sapientia mundi & carnis tanquam stultitiam deridet. Et vos sine intellectu estis, ait Christus Matth. cap. 15. ad Apostolos, non intelligentes concionem Christi : Magna gratia, habere intellectum bene instructum mysteriis fidei.

## MEDITATIO CCII.

Punct. I. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, Sap. c. 1.* dono consilii ; quod hominem præservat à præcipititia, & instruit rationibus, quomodo in negotiis animæ prudenter se gerat. Multam lucem dant consilia Seniorum, sine quibus nihil facias, maximam autem unctionio Sancti Spiritus, sine cuius invocatione nihil aggredere.

Punct. 2. Dono fortitudinis ; quod eliminat pusillanimitatem, & ingerit Spiritus generosos, ad aliquid prudenter & sanctè audendum pro gloria Dei. O quieties nos retrahunt timores, & abjectio animi ab insignibus operibus, ad quæ nobis Deus occasiones suppeditat ! quælibet difficultas nos tenet.

Punct. 3. Dono scientiæ, quo instruimus,

mur sanum iudicium ferre de creaturis, in quantum scilicet sint media a Deo concessa ad obtainendum ultimum finem nostrum, a quo si abducant, instar steroris pessum dari debent. Nos autem Creaturas non raro pro fine habemus nostrarum actionum, & excidimus fine ultimo.

## MEDITATIO CCIII.

Punct. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, Sap. c. 1.* dono pietatis: Hoc expugnat duritiam cordis erga miseros, afflictos, pauperes, & implantat benignitatem, misericordiam, liberalitatem & amorem proximi; item bonam voluntatem & filialem affectum erga Superiores, parentes &c. denique maternam benevolentiam erga subditos & nostrae curae commissos. Spiritus iste bonus est erga omnes.

Punct. 2. *Spiritus replet mundum dono timoris Domini, seu reverentiæ erga Supremam Majestatem Dei nostri, & studii, gloriam ejusdem Dei nostri ubique propagandi, vitando omnia peccata, & impediendo etiam apud alios, & non tantum peccata, sed etiam tepiditatem & negligenciam in servitio Divino.*

Punct. 3. *Spiritus est, qui vivificat. Joan. c. 6.* Absque isto Spiritu omnia sunt mortua. Spiritus Sanctus facit ex hominibus Diuinæ confortes naturæ, ex peccato-

catoribus justos, ex infirmis fortes, ex tribus laetos, ex frigidis ferventes, ex iracundis mansuetos, ex timidis animosos; si tamen purissimo huic Spiritui habitaculum spirituale, vacans immunditiis, præparaverimus.

## MEDITATIO CCIV.

Punct. 1. *Ego autem deo vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentiibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Jam vide, an tu hoc Spiritu ducaris? Hic Spiritus Patris tui Spiritus est. Matth. c. 5.*

Punct. 2. *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius faciatis? nonne & Ethnici hoc faciunt? Matth. c. 5. Spiritus Patris tui bonis benefacit, quia merentur; malis, ut boni fiant & mereantur.*

Punct. 3. *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est, Matth. c. 5. qui absque omni respectu erga omnes beneficus est; omnes sunt crea-*

creaturæ ejus ; omnes Christi sanguine  
sunt redempti; omnes vult salvos fieri An  
tu odiſſe & damnare vis , quos infinitè  
bonus Spiritus Patris tui vult salvare?

## MEDITATIO CCV.

Punct. 1. Tollite jugum meum super  
vos , & discite à me ; quia mitis sum  
& humilis corde. Matth. c. 11. Hic  
est Spiritus Christi , Spiritus mansue-  
tudinis & humilitatis. Si Christianus es.  
& si Religiosus, hoc Spiritu duci debes, si  
tamen utrumque hoc nomen non indignè  
ferre vis. Habuisset Christus , quia Deus,  
causam majestatis erga nos exereendæ;  
quam tu habes ?

Punct. 2. Et invenietis requiem ani-  
mabus vestris. Matth. c. 12. Qui hoc  
Spiritu Christi ducuntur, gaudebunt imper-  
turbabili pace & quiete secum & cum  
aliis: nihil enim est , quod verè mansue-  
tum & humilem de statu tranquillitatis  
possit dejicere. Inquietus es? ergo non  
es mansuetus & humilis.

Punct. 3. Jugum enim meum suave  
est , & onus meum leve ; Matth. c. 11.  
& hoc ideo, quia qui cum Christo unus  
spiritus est , habet Christum adjuvantem  
in portando jugo. Qui autem spiritum  
mundi habet, mundum non habet adju-  
vantem se. Plurimi, si scirent, quam sua-  
ve

ve sit, Deo servire, onus mundi procul  
à se rejicerent.

## MEDITATIO CCVI.

Punct. I. *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Matth. c. 15.* Ad nihilum redigentur omnes conatus nostri, qui non ducuntur Spiritu Dei, quorum Deus finis non est. Quid enim planta sine rore cœlesti, sine vento perflante, sine radio solis? Sic omnia nostra sunt sine Dei Spíritu.

Punct. 2. *Cœcus autem si cœco du-  
catum præstet, ambo in foveam cadunt.*  
*Matth. c. 15.* Sequeris passionem, quid cœciūs? sequeris carnem & sensum, quid stultiūs? quam primum passio deferbuit, voluptas evanuit, vides te errasse. Spíritum Dei monentem, excitantem, illuminantem sequeris? gaudebis ex facto. Nihil unquam facias animo perturbato, quia cœco.

Punct. 3. *Sinite illos. cœci sunt, &  
duces cœcorum. Matth. c. 15.* Qui se-  
ctantur principia politica spiritus munda-  
ni non vident ea, quæ Dei sunt, & tamen  
omnes in suam partem volunt trahere.  
Quid si etiam inter parietes religiosos es-  
sent, qui non secundūm spíritum Christi  
sed mundi se, & jalios gubernant?

## MEDITATIO CCVII.

Punct. 1. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. Matth. c. 21.* Terribilis sententia! Quia tu non vis uti gratiis à Deo tibi concessis, dabit Deus alii, qui cum fervore & gratitudine summa fructum feret. Spiritus ubi vult spirat; vide ne gratia Dei in te vacua sit.

Punct. 2. *Misit servos suos, vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire, Matth. cap. 22.* ad nuptias, ad conjunctionem animæ cum Deo. Et qui venire nolunt, non agnoscunt suavitatem Spiritus Domini, effundunt se ad exteriora, se nunquam colligunt, tantum non Dei obliviscuntur.

Punct. 3. *Qui invitati erant, non fuerunt digni. Matth. cap. 22.* Non agnoverunt dignitatem suam & gratiam, quā Deus illos ad suam intimam familiaritatem & communicationem invitavit; sed evanuerunt in cogitationibus suis, & dati sunt in reprobum sensum.

## MEDITATIO CCVIII.

In Festo SS. Trinitatis.

Punct. 1. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*

*Eti. Matth. cap. 28.* Deus unus & trinus est. Sis unus tecum in perfecta unitate passionum & potentiarum tuarum ad unum finem DEUM. Sis plures in obsequium omnium, omnibus omnia factus.

*Punct. 2.* Sis unus tecum in perfecta solitudine & recollectione. Sis plures in communitate, erga omnes verè bonus. Sis unus in perfecto silentio eorum, quæ audivisti. Sis plures in omnibus excusandis, laudandis, consilio adjuvandis.

*Punct. 3.* Renova in te imaginem Patris in puritate tuæ memoriæ, Filii insapientia verborum, Spiritus Sancti in continuo incremento gratiæ. Cogita sancta, loquere sancta, sancta desidera, & omnia fac in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

## MEDITATIO CCIX.

*Punct. I.* *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.*

*Joan. cap. 15.* Vitis est Christus, nos palmites. Ex parte vitis non est defensus succi vivifici. Si hunc non attrahimus, palmites infructuosi sumus, & hoc ipso exscindemur. Tunc autem non attrahimus, quando vocem loquentis Dei in nobis non audimus, non exequimur.

*Punct.*

Punct. 2. *Et omnes, qui fere frumentum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Joan. c. 15.* Purgat Christus palmites putando, varias adversitates immitendo, & nos quasi compellendo ad spiritualem profectionem & fervorem. Correctione DEI & hominum debemus fieri meliores.

Punct. 3. *Hoc beatus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur; Joan. cap. 15.* ut scilicet iis rebus gaudeatis, quibus ego gaudeo, scilicet laboribus, & periculis pro salute hominum susceptis. Et tunc implebitur gaudium vestrum, cum laborebus istis immortui fueritis.

## MEDITATIO CCX.

Punct. 1. *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Luc. cap. 14.* Nihil ita deprimit hominem coram Deo, ut superbia; nihil ita elevat, sicut humilitas. DEUS alta & longè cognoscit, humilibus autem dat gratiam. Ut autem humilis sis, cognosce te perfectè.

Punct. 2. *Cum facis convivium, versa paupores, debiles, claudos, & carcos: & beatus eris, quia non habent retris-*

*retribuere tibi. Luc. cap. 14.* Quare  
beatus? Si benefacis cum spe retributio-  
nis, recepisti mercedem tuam; si au-  
tem nihil inde speras ab hominibus,  
Deus erit retributor tuus.

Punct. 3. *Retribuetur enim tibi in  
resurrectione justorum, Luc. cap. 14.*  
quando nimirum reddet Deus unicuique  
juxta opera ejus, & dicet: Esurivi &  
de-  
distis mihi manducare &c. O quām mul-  
ti quærunt, quæ sua sunt, non quæ Iesu  
Christi! non donant Christo, sed elocant  
ad usuram hominibus, & accipiunt pro  
censu honorem, gratitudinem, retribu-  
tionem.

## MEDITATIO CCXI.

Punct. 1. *Dicit ei Jesus: da mihi  
bibere. Joan. cap. 4.* O felicem illum,  
à quo Jesus aliquid petit! Non agnoscit  
Samaritana felicitatem suam, forsitan  
tu tuam? Quod à te petunt pauperes,  
rudes, afflitti, peccatores &c. Jesus pe-  
tit. Ah! cave, ne cum illis agas alio mo-  
do, quām cum Jesu ageres.

Punct. 2. *Tu forsan petisses ab eo,  
& dedisset tibi aquam vivam. Joan.  
cap. 4.* Si nimirum Samaritana novis-  
set eum, & dedisset, pro aqua putei ac-  
cepisset aquam vivam. Da', quantum  
potes, & ubi ubi potes, Christo in suis  
mi-

minimis , nihil aliud in iis respiciendo , quām Christum , sanguinem Christi , amorem universalem Christi .

Punct. 3. *Omnis , qui bibit ex aqua hac , sit et iterum . Joan. cap. 4.* Nulla terrena extinguitur sitim ; cœlestia autem hauriuntur ex scaturagine , quæ vincit omne desiderium . Una Dei consolatio superat omnia mundi gaudia . Terrena omnia relinquunt post se pœnitentiā aut naufragium , cœlestia gaudium & desiderium .

## MEDITATIO CCXII.

### Ad Festum SS. Corporis Christi.

Punct. 1. *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum ; Joan. c. 6. ap. ve-*rum scilicet cibum animæ , & incrementum quotidianum gratiæ ; si tamen cum fame accedis , & dispositione animæ congrua . Malè constituta est anima , quæ nauseat hunc panem ; non satis bene , quæ non desiderat .

Punct. 2. *Ego sum panis vita . qui venit ad me , non esuriet ; Joan. c. 6.* non esuriet cibos mortis , vanitatis , & deliciarum mundi : hi enim non solum satiare non possunt animam , sed nec ullo modo nutrire : anima enim spiritualis cum sit , nihil , quod spirituale non est ,

est, animam nutrire potest. Et tamen pro nutritione corporis sollicitissimi sumus, quod vivit ad tempus, pro anima, quæ vivit æternum, non ita.

Punct. 3, *Ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Joan. cap. 6.* Hic panis homogeneum vitæ est: si tamen nulla bilis, plethora, & acidum in stomacho fuerit. Bilis tua est aversio à proximo. Plethora est abundantia sacerdotalium desideriorum. Acidum est modus agendi tristis & morosus cum hominibus.

## MEDITATIO CCXIII.

Punct. I. *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum: Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Joan. cap. 6.* SS. Eucharistia est verè panis animæ, sicut panis naturalis est verè cibus corporis. Est panis Dei, in se habens DEUM, descendens è finu Patris Æterni, vivificans animam, & resurrectionem causans corpori.

Punct. 2. *Ego sum panis vite, qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam. Joan. cap. 6.* SS. Eucharistia confert comedenti cum gustu plenam satietatem, & extinguit omnem sitim; quia habet in se, qnid-

quidquid est sanctè appetibile , dummodo viva fide credas , & bene præparatus accedas. Talis erit tibi Christus , qualis tu fueris Christo.

Punct. 3. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Joan. cap. 6.* Hic enim panis dat animæ gratiam , durantem usque ad vitam gloriæ in omnem æternitatem , dummodo tu hanc vitam non voluntariè abruperis. Gratia non habet alium hostem , quām peccatum ; hoc cùm sit voluntarium , in tua est electione , vivere , vel mori. Grandis foret audacia ac temeritas , subire conspectum Regis cum actuali voluntate inferendæ ipsi injuriæ. Et tu audes accedere cum vigenti affectu peccati venialis ?

## MEDITATIO CCXIV.

Punct. 1. *Qui manducat me , & ipse vivet propter me, Joan. c. 6.* operantem scilicet in ipso tanquam Medicum omnipotentem , & avertentem omnem infirmitatem animæ: inducit enim secum horrorem peccati gravis & timorem veniam. Quare autem tot moriuntur post accessum tam potentis Medici? quia non audiunt vocem ejus. Crede , Divinam bonitatem te educturam ex profundo carcere tuo , in quo ligatus es tot puerilibus affectibus , quos vanos agnoscis ,

sed sine proposito eos abjiciendi. Vide ergo, ne impediā Christum in te operantem.

Punct. 2. *Vivet propter me tanquam Magistrum vitæ spiritualis.* Hinc viri sancti accedentes ad SS. Eucharistiam dixerunt: Eamus ad consilium: plurima enim discimus, si post sumptionem hujus cibi pronas aures præbeamus huic magistro. At non omnibus loquitur? omnibus aures ad audiendum habentibus. Dic cum magna aviditate: Loquere Domine, quia audit servus tuus.

Punct. 3. *Vivet propter me, tanquam amicum optimum, qui in omni necessitate nostra nos consolatur; in omni periculo nos adhortatur; in omni egestate nobis auxiliatur, & non patietur nos in fine perire: si tamen huic amico fuerimus fideles in promissis & propositis nostris.*

## MEDITATIO CCXV.

Punct. I. *Ecce panis Angelorum,*  
*Ecccl. hoc est, hominum Angelis similem, vitam spiritualem viventium, castorum, ad omnem Dei nutum paratissimorum: hi enim sunt aptissimi, quibus Christus Dei & Virginis Filius suas gratias communicet. Angelus es? si in carne fine carnis affectionibus vixeris.*

Punct.

Punct. 2. *Verè panis filiorum, Eccl.*  
*eorum nempe, qui filiali & non servili*  
*in Christum affectu ducuntur. Obsequun-*  
*tur filii ex amore, servi ex timore; filii*  
*ex reverentia, servi ob mercedem. Pla-*  
*cere volunt filii ad oblationem Patris,*  
*servi ad continuationem servitii.*

Punct. 3. *Factus cibus viatorum.*  
*Eccl.* Fatigantur viatores, & confor-  
tatione indigent. O quot tædiis & diffi-  
cultatibus lassamur in via virtutis! Invita-  
tus nos Christus: Venite ad me omnes,  
qui laboratis & onerati estis, & ego re-  
ficiam vos. Nos autem in nostris tædiis  
longè alias refectiones quærimus.

## MEDITATIO CCXVI.

Punct. 1. *Panem de cœlo præstiti-*  
*sti illis sine labore, Sap. cap. 16. in de-*  
*ferto nimirum Israelitis. Si in sudore*  
*vultus nostri deberemus vesci pane, ex-*  
*cusationem fortè haberemus: at modò*  
*sine labore nostro offertur nobis panis*  
*cœlestis. Et tamen quām raro accedimus*  
*cum vero & famelico gaudio!*

Punct. 2. *Omne delectamentum in*  
*se habentem; Sap. cap. 16. sed non omni*  
*gustui: malunt enim aliqui cepas, & allia, &*  
*ollas carnium Ægypti. Qui verò Domi-*  
*ni dulcedinem aliquando degustarunt,*  
*omnes mundi delicias nauseabunt. Qui-*

nam autem degustant ? qui gustum non  
habent corruptum.

Punct. 3. *Et omnis saporis suavitatem.* Sap. cap. 16. Manna ad quem quisque saporem volebat , convertebatur. Idem fit in SS. Eucharistia : qualis quisque DEO est, talis est Deus ipsi. Vis Deum erga te esse bonum ? bonus esto DEO. Vis Deum erga te esse liberalem ? esto erga Deum liberalis. In quo ? se totum communicat tibi , te totum communica Deo.

## MEDITATIO CCXVII.

Punct. 1. *Vidit ibi hominem non vestitum ueste nuptiali,* Matth. cap. 22. hoc est, præparatione digna tanto hospite, sordidatum malis affectionibus & peccatis petulantioribus, lupum inter oves, malum inter bonos. Vestis nuptialis non tantum est vestis honesta , sed elegans, exquisita. Talis debet esse animæ accendentis ad S. Communionem.

Punct. 2. *At ille obmutuit.* Matth. cap. 22. Quæ nobis excusatio inter tot occasiones boni ? ipsa nostra conscientia, judex & testis erit , penes Deum nullam fuisse culpam: potuissimus , si voluissimus, esse sancti.

Punct. 3. *Multi enim sunt vocati,* pauci vero electi. Matth. cap. 22. Vide,

de , quænam signa habeas tuæ electio-  
nis? an habeas verè bonam voluntatem  
DEO ex toto corde serviendi? an habeas  
horrorem ab omni voluntario & delibe-  
rato peccato? an habeas filialem amorem  
erga SS. DEI matrem? an habeas veram  
& universalem erga proximum charita-  
tem? an sis verè resignatus in omnem  
Dei de te dispositionem &c.

## MEDITATIO CCXVIII.

Punct. I. *Posuit eum in paradise  
voluptatis.* Gen. cap. 2. Paradisus vo-  
luptatis est Ecclesia Catholica. In hoc  
paradiso lignum vitae est Christus Eucha-  
risticus. Ad hoc lignum debet accedere  
homo vivens in gratia , & comedere ex  
eo ad augendam gratiam , sive conser-  
vandam animam in vita spirituali & san-  
cta. An sanctior sis per frequentem usum  
SS. Eucharistiae? & quare non?

Punct. 2. *Ut operaretur.* Gen. c. 2.  
Posuit DEUS hominem in paradyso , ut  
operaretur , non otiaretur. Ad hunc ip-  
sum finem te Deus posuit in Ecclesia , ni-  
mirum , ut operareris , cum gratia Eucha-  
ristica cooperareris , illo præsertim tem-  
pore , quo Christus Eucharisticus tibi præ-  
sens est. Alias eris similis Legato , qui pe-  
tiit audientiam , & non loquitur.

Punct. 3. *Et custodiret illum.* Gen.  
cap. 2. Ille custodit paradysum , qui

excolit, qui zizania evellit, animalia noxia arcet &c. Animam tuam paradisum crede, quando eam intravit Christus Eucharisticus. Vide ne ad illum intrent voluntariæ negligentiaæ, tædia, pigritiaæ &c. ne in anima tua succrescant tribuli & urticæ inordinatarum affectionum. Quibus maximè obnoxius es?

## MEDITATIO CCXIX.


Punct. 1. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Luc. cap. 14.* Nulla major Eucharistica, nulla præstantior. Miraculum miraculorum! in ea enim Christus memoriam fecit mirabilem suorum, misericors & miserator Dominus, & communicavit homini seipsum, auctorem omnium miraculorum.

Punct. 2. *Pauperes, & debiles, & cœcos, & claudos introduc huc. Luc. c. 14.* Postquam invitati divites & opulentis excusaverunt, invitati sunt pauperes & afflicti, & isti comparuerunt. Sic Christus apud homines semper occupatos, & terrenis immersos ingratus hospes est, in nulla existimatione & desiderio: apud pauperes ergo diversatur, à quibus cum gaudio & gratitudine excipitur in silentio & solitudine.

Punct. 3. *Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.*

LNG.

*Lue. cap. 14.* Cœna Eucharistica sym-  
bolum est cœnæ æternæ in cœlis , &  
fruitionis Dei. Qui illam recusat , ad hanc  
non veniet : qui illam ferventer frequen-  
tat , hanc in alto gloriæ gradu accedet.  
Quam , quæso , excusationem affers , quæ  
minùs devotè , attentè , ferventer , cum  
summo desiderio ad hanc magnam san-  
& iissimam , utilissimam cœnam accedas ?



## MEDITATIONES

*Ab octava die SS. Corpo-  
ris Christi usque ad Adven-  
tum.*

### MEDITATIO CCXX.

Punct. 1. *Pater, da mihi portionem  
substantie, quæ me contingit. Luc. c. 15.*  
Non vult expectare hæreditatem prodi-  
gus iste filius , sed extra patris oculos &  
obedientiam sua consumere. Peccator,  
hic est , qui Deo insuper habito sequitur  
suas cupiditates , & alterius vitæ , æter-  
næque hæreditatis prorsus obliviscitur.  
O quam multa perdit !

Punct. 2. *Peregrè profectus est in  
I. § regio-*

*regionem longinquam, & dissipavit omnem suam substantiam.* *Luc. cap. 15.*  
*Regio longinqua est peccatum, quod hominem à Deo remotissimum facit.* Substantia est gratia & spes hæreditatis. Utramque peccator petulanter abligurit, æternum pauper!

*Punct. 3. Et ipse cœpit egere.* *Luc. cap. 16.* Nemo peccatore pauperior. Nihil habet in conscientia, nisi debita; nihil habet in spe apud Deum, sed expectare debet sententiam damnationis æternæ; à mundo deseritur; à morte rapitur; à dæmone torquetur. O quam malum & amarum est dereliquisse te Dominum Deum tuum!

## MEDITATIO CCXXI.

*Punct. 1. Misit illum in villam suam, ut pasceret porcos.* *Luc. cap. 15.* Quis? Dominus peccatoris. Ad quid? ad paſcendas bestias suarum passionum. Quem ei viatum dat? siliquas, deleſationes solidas, quæ non satiant; gaudia evanida, quæ post se trahunt luctum; breves delicias, æternas pœnas.

*Punct. 2. Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibꝫ?* *Luc. cap. 15.* Quam bene est omnibus in domo patris mei Dei! Omnia perdidi, dum

dum à patre meo discessi ! quid defuit mihi apud Patrem meum ? Ah ! cur patrem meum dereliqui !

Punct. 3. *Surgam.* *Luc. c. 15.* Ex fœtore meo & societate porcorum redibo ad patrem meum , Deum meum , & dicam ei: Peccavi in cælum , & coram te ! jam non sum dignus vocari filius tuus ! fac me tantum sicut unum de mercenariis tuis , ut serviam tibi pro pane furvo , qui panem filiorum tam stultè nauseavi.

## MEDITATIO CCXXII.

Punct. 1. *Vidit illum pater ipfius , & misericordiâ motus est.* *Luc. cap. 15.* O verè bonum patrem ! qui me peccatorem ad se reverti videns , motus est amore cordis intrinsecus , & accurrens cecidit super collum meum , & osculatus est me oculo liberalissimæ pacis & misericordiæ ! potuisset mihi exprobare ingratitudinem , malitiam , perseverantiam in malo , & non fecit !

Punct. 2. *Cito proferte stolam primam , & date annulum in manu ejus.* *Luc. cap. 15.* Induisti me , benignissime Deus , vestimento salutis gratiæ tuæ , & desponsâsti animam meam tibi annulo reconciliationis , & saginâsti me cibô pretiosissimo Sanctissimi Corporis tui , promisi æternam hæreditatem .

Punct. 3. *Huc filius meus mortuus erat,*

*erat, & revixit. Luc. cap. 14.* Ah ! ubi eram , quando tecum non eram. ? cuius eram , quando tuus non eram? Reduxisti ab inferno animam meam. Quod actu non sim inter damnatos æternūm , tua longanima bonitas fecit. O quot in inferno sunt , qui minus peccaverunt , quam ego?

### MEDITATIO CCXXIII.

Punct. 1. *Omnia , quacunque vultis , ut faciant vobis homines . & vos facite illis. Matth. cap. 7.* Quid vis , ut homines de te loquantur ? omnia bona , saltem excusantia verba. Quid vis , ut homines tibi faciant? omnia bona, saltem non mala. Quid vis , ut homines de te cogitent? omnia bona. Et tu fac similiter.

Punct. 2. *Quam angusta porta , & arcta via est , quæ dicit ad vitam ! & pauci sunt , qui inveniunt eam. Matth. cap. 7.* Hi pauci sunt , qui se ipsos vincunt , se humiliant , multa amore Dei dissimulant , vindictam nullam querunt , in silentio se totos Deo relinquunt , regnum Dei sollicitè querunt.

Punct. 3. *Omnis arbor bona fructus bonos facit. Matth. c. 7.* Fruktus tui opera tua sunt , hæc loquuntur de te , qualis arbor sis. Nunquid ultra tres annos

nos expectavit Christus , quærens in te  
fructum , & quid invenit? Time , ne ex-  
scindat , & in ignem projiciat te.

## MEDITATIO CCXXIV.

Punct. I. *Omnis ergo, qui confitebi-  
tur me coram hominibus , confitebor  
et ego eum coram patre meo. Matth.  
cap. 10.* Sæpe erubescimus esse pii, fer-  
ventes, religiosi. Adoramus idolum :  
Quid dicent homines? Dic cum S. Paulo:  
Si adhuc hominibus placerem , Christi  
servus non essem.

Punct. 2. *Non veni pacem mittere,  
sed gladium ; Matth. cap. 10.* scilicet  
cum mundo & mundi filiis, contra quos  
deberemus pugnare gladio veritatis, &  
veri spiritus & sanctæ constantiæ : pax  
enim cum impiis est omni bello dete-  
rior. Quid si etiam pugnare deberes te-  
cummetipso ? An non tu tibi hostis es?

Punct. 3. *Et inimici hominis do-  
mestici ejus. Matth. cap. 10.* Nemo  
nobis magis nocet, quam amicus malus:  
transimus in omnia vitia eorum , quibus-  
cum commoramus. Generosa discre-  
tione opus, ut habitemus cum malis , &  
sine offensione illorum vel conscientiæ  
vivamus.

## MEDITATIO CCXXV.

Punct. 1. *Tunc dicit discipulis suis : messis quidem multa, op rarii autem passi.* Matth. c. 9. Quot animæ jacent, quia non habent, qui earum curam habeat. Magna in cathedris, confessionalibus, operariorum excursionibus, conversationibus &c. messis esset, si agrí diligenter & patientius colerentur.

Punct. 2. *Ite ad oves , quæ perierunt.* Matth. c. 10. Nulla negligenda est anima, etiam pauperrimorum, deformium, gravissimorum peccatorum: non enim valentibus opus est Medico, sed male habentibus. Divites, nobiles, amabiles ubique inveniunt cultores, non item alii.

Punct. 3. *Gratis acceperitis , gratis date ,* Matth. c. 18. Nihil quæramus, nihil speremus, nisi animas, ne dicatur nobis : *recepérunt mercedem suam.* Quam pauci suut, qui Deo gratis serviunt! qui non quærunt se ipsos! qui non ad exteriora respiciunt! qui non selectum faciunt inter illos, quibus operam suam locant!

## MEDITATIO CCXXVI.

Punct. 1. *Nolite judicare , ut non judicemini.* Matth. c. 7. Soli Deo relinquamus omnia judicia, cui soli patent

patent hominum pectora. Nostra judicia errori sunt obnoxia, Deo injuriosa, nobis molesta, proximo infesta, plurimorum malorum semina.

Punct. 2. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Matth. c. 7. Hic in judicantes talio est: sicut alios judicamus, sic judicamur ab aliis. Plerumque Deo ita permittente, cuius officium invasimus, in ea ipsa vitia incidimus, quæ in aliis judicamus. Se ignorat, qui alios judicat.

Punct. 3. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Matth. c. 7. Argi sumus, in aliorum defectibus, talpæ in nostris. Nostros excusamus, aliorum augemus. Nihil ita deberet esse nobis notum, quam nos, & nihil ita nobis esse ignotum, quam alii. Quales ergo sumus judices?

## MEDITATIO CCXXVII.

Punct. 1. *Neminem per viam salutaveritis.* Luc. c. 10. Salutationes istæ per viam sunt distractiones & diversiones inutiles: cum enim tempus zelatori animalium valde pretiosum sit, nullam debet negligere occasionem, aliquid boni praestandi. Multum temporis perdimus nihil agendo, & adhuc plus alia agendo, quam ad quæ missi sumus.

Punct.

Punct. 2. *Dicite illis: appropinquauit in vos regnum Dei.* *Luc. c. 10.*  
 Qui animas quascunque curant, non debent viam salutis reddere difficulterem austeritate, sed faciliorum charitate & auxilio opportuno. Plurimi absterrentur ex timore, qui converterentur ex amore. Ubi est mansuetudo Christi?

Punct. 3. *Qui vos audit, me audit,* *Luc. c. 10.* Magnam auctoritatem habent Legati Christi. Curandum igitur illis est, ut suo exemplo, & modo agendi nihil derogent huic auctoritati. Omnia oculi in nos vertuntur curiosè, ita ut etiam atomi nostrarum imperfectionum illis sint scandalo.

## MEDITATIO CCXXVIII.

Punct. 1. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum.* *Luc. c. 6.*  
 Si tu intus esse bene constitutus, erga omnes cogitatione, verbo & opere bonus es, & omnia in bonum verteres. quia autem intus malus es, male de aliis cogitas, loqueris & agis, ac omnia in malum vertis.

Punct. 2. *Ex abundantia cordis os loquitur.* *Luc. c. 5.* Qui amat, loquitur de re amata; qui odit, derixit. Si Deus impleret cor tuum, de Deo loqueris & iis, quae ad Deum pertinent. Ideo ex tua te loquela judica. Examina desideria tua

tua & inyenies, quo thesauro <sup>7</sup>cor tuum abundet.

Punct. 3. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.*

*Matth. c. 15.* Innumeræ orationes nostræ orationes tantùm labiorum sunt, & non cordis; quia sensum non attendimus eorum, quæ loquimur. Quid impetrabimus, si ipsimet non sciamus, quod petimus? Unum Pater noster cum attentione & affectu prævalet centenis aliis.

## MEDITATIO CCXXIX.

Punct. 1. *Pharisei autem & Legisperiti consilium Dei spreverunt in se metipos, non baptizati ab eo. Luc. c. 7.* His sua superbia non permisit, ut se humiliarent coram S. Joanne Baptista, & baptisatum pœnitentiæ acciperent. Malum signum! esse peccatorem & velle eximium videri. Signum pessimum! sua adorare, & aliorum omnia contemnere.

Punct. 2. *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Luc. c. 7.* Fœmina nobilis, in conspectu omnium, peccata sua deflet, & quasi publicè confitetur. Quid non facit vera dilectio, & verus ob dilectum offensum dolor, & viva fides! Ideo remittuntur ei peccata multa.

Punct. 3. *Quis ergo eum plus diligit? Luc. c. 7.* Aestimo, quia is, cui plus

plus donavit. Iam tecum rationes ini, & computa, quid à Deo acceperis, quid contra Deum feceris, quid tibi Deus remiserit! Hoc cognito intelliges, quantum tenearis diligere.

## MEDITATIO CCXXX.

Punct. 1. *Si fænum agri, quod hodie est, & cras in elibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?* Matth. c. 6. Nihil ita Dei erga nos liberalitatem impedit, quam parva confidentia. Non credimus, ipsum esse Patrem nostrum, si non instar filiorum ad eum in omnibus recurrimus.

Punct. 2. *Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis.* Matth. c. 6. Vult tamen rogari. Superbi sunt filii, qui carere malunt, quam rogare. Superbi sunt subditi, qui penuriam pati malunt, quam à Superioribus licentiam petere. Superbi sunt transgressores, qui malunt puniri, quam delicti veniam rogare.

Punct. 3. *Quærite ergo primum regnum Dei & justitiam ejus, & haec omnia adjicientur vobis.* Matth. c. 6. Quorum prima cura Deus est, & beneplacitum ejus, eorum protectio & promotione prima cura erit Deo. Sicut cum Deo agimus, ita nobiscum Deus.

## MEDITATIO CCXXXI.

Punct. 1. *Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit.* Matth. c. 9. Symbolum tepidi habes. Quamdiu tibicines & turba tumultuans tepidum cingit, dormit. Cum ejicitur turba, intrat Jesus, loquitur ad cor hominis, auditur.

Punct. 2. *Tenuit manum ejus, & surrexit puella.* Matth. c. 9. Non nisi manus nostra quandoque mortua est, & operari renuit. Quamprimum haec tenetur a Christo ad laborandum, surgere, & cum gratia illius cooperari debemus. Plura saepe possumus, quam putamus, modo adhibere manum velimus.

Punct. 3. *Surrexit puella.* Matth. c. 9. Quis surgit? qui sedit, aut jacuit &c. Sedemus aut jacemus in tædio, pigritiam, negligentiā, incuriā. Surgimus, quando ferventer agimus, non alia, sed alio modo.

## MEDITATIO CCXXXII.

Punct. 1. *Ecce mater mea & fratres mei.* Marc. c. 3. Hoc nomine appellavit Christus audientes & facientes verbum Dei. Quare? Fratres vocavit facientes voluntatem Patris, matrem, illos qui etiam alios in spiritu cognoscunt, & Christo assimilant. Si frater es Christi, ut Christus

stus obedi. Si mater, multos effice fratres Christi.

Punct. 2. *Qui enim fecerit voluntatem Dei.* Marc. c. 3. Triplex est voluntas Dei, necessaria, beneplacens, & perfecta. Necessaria est præceptorum; beneplacens operum supererogationis; perfecta plenitudo virtutum in gradu perfecto. Quam tu imples?

Punct. 3. *Hic frater meus, & soror mea, & mater est.* Marc. c. 3. Hi Christi sunt consanguinei, quibus potest applicare pretium sanguinis sui: illis autem potest applicare, qui faciunt voluntatem Dei. Fratres & sorores sunt, qui sancte invicem diligunt; matres, qui nutriunt fratres Christi, etiam minimos.

## MEDITATIO CCXXXII.

Punct. 1. *Non poterat ibi virtutem ullam facere propter incredulitatem eorum.* Marc. c. 6. Quia non habemus dignam de Deo æstimationem, non meremur ullam gratiam; nec humiliter petimus, nec fiducialiter speramus Plurimorum Christianorum male viventium defectus est in viva fide.

Punct. 2. *Quia non est Propheta sine honore, nisi in patria sua.* Marc. c. 6. Quasi patria Christi est Status Religiosus. In hoc fine

sine honore est apud illos, qui non student perfectioni. Extra hanc suam patriam in honore est apud illos, qui in seculo sunt virtuosi. Quanta nostra confusio erit, videre seculares praecedere nos in regno Dei!

Punct. 3. *Et mirabatur propter incredulitatem eorum.* Marc. c. 6. Quasi diceret: Quid potui facere vineæ meæ, quod non feci? & tamen, dum volo colligere uvas, nihil invenio, nisi labruscas. Quid deest nobis ad vitam perfectam? an non mediorum satis? & tamen!

## MEDITATIO CCXXXIV.

Punct. 1. *Rogare cœperunt eum, ut discederet de finibus eorum.* Marc. c. 5. Quia Christus immisit dæmones in porcos, ideo timuerunt Christum propter amissos porcos. O quam multi oderunt Christum, quia ipsis vult abstrahere porcos suos?

Punct. 2. *Cœpit ipsum deprecari, qui à demonio vexatus fuerat, ut esset cum illo.* Marc. c. 5. O quantum discrimen inter servitutem Christi & diaboli! O quam multi conqueruntur, portantes jugum Christi, quia nesciunt, quid sit portare jugum diaboli & peccati!

Punct. 3. *Abiit, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Jesus.*  
Marc.

*Marc. c. 5.* Felix ! qui agnoscit Dei beneficium, conversionem à statu peccati ad statum gratiæ ! à statu mundi ad statum Religionis ! à statu tepiditatis ad statum fervoris. Quanta tibi fecit Dominus ! quanta debes retribuere ?

## MEDITATIO CCXXXV.

Punct. 1. *Vides turbam comprimentem te, & dicis : quis me tetigit ? Marc. c. 5.* Turba tetigit Christum, tetigit & mulier ; sed tactu prorsus diverso. Mulier tetigit viva fide & fiduciâ, turbæ per importunitatem. Quot Christum tangunt in SS. Eucharistia ! quam diverso affectu & effectu !

Punct. 2. *Cognoscens virtutem, quæ exierat de illo. Marc. c. 5.* Exit virtus à Christo, cum invenit subiectum dispositum, præsertim in SS. Eucharistia, quæ cum præbeatur omnibus eadem, non omnibus eandem confert virtutem. Sic tu nos visitas, sicut te colimus.

Punct. 3. *Filia, fides tua te salvam fecit, vade in pace. & esto sana. Marc. c. 5.* Qui vivaciter credit, semper est in pace, & sanus in passionibus suis. Unde te por & negligentia status nostri ? nisi ex languida repræsentatione futurorum, quæ credimus ?

## MEDITATIO CCXXXVI.

Punct. 1. *Venite scorsum in deser-  
tum locum, & requiescite pusillum.*  
*Marc. c. 6.* Scilicet post Apostolicos labores vult Christus Apostolis aliquam sui recollectionem insinuare, ne se aut nimium fatigent, aut effundant. Quære aptum tempus vacandi tibi, & de beneficiis Dei frequenter cogita.

Punct. 2. *De omnibus civitatibus concurrerunt illuc, & pravenerunt eos,*  
*Marc. c. 6.* scilicet Christum & Apostolos, quos avidissimè audiebant. Et quinam erant hi? pauperes, plebeji, cives, & hos docebat Christus. An nos illos negligamus? Neminem excludat zelus noster, quia neminem exclusit Christus.

Punct. 3. *Et erant sicut oves, non habentes pastorem, & cœpit illos docere multa.* *Mare. c. 6.* Nobiles, divites, Domini, Dominæ gratosuli prefantur, & quandoque sine omni fructu. Rusticani, simplices, pauperes, miseri, deformes vix habent, qui eorum curam gerant, & hi ferrent fructum uberrimum.

## MEDITATIO CCXXXVII.

Punct. 1. *Et repleti sunt omnes in Sy-  
nagoga irâ hæc audientes, Luc. c. 4.  
Veritatem scilicet, quam nullo modo tam  
aper-*

apertam audire volebant Pharisæi. Etsi  
hæc merces veritatis admodum iniqua sit,  
noli tamen celare veritatem, & tu verita-  
tem dicentibus noli dare mercedem tam  
iniquam. Veritas liberabit vos. Jo. c. 8.

Punct. 2. *Ejecerunt illum extra civi-  
tatem, Luc. c. 4.* Christum nimirum.  
Idem faciunt subditi, qui omnis correctio-  
nis & increpationis impatientes murmu-  
rant, & in omnibus angulis conqueruntur:  
cùm enim Superiorès nolunt audire, Chri-  
stum ejiciunt, à quo habent protestatēm.

Punct. 3. *Ipse autem transiens per  
medium illorum ibat, Luc. c. 4.* Qui-  
libet faciat suum officium, & non curet  
hominum sermones. Qui te judicat, Do-  
minus est, & non permettit succumbere  
veritatem. Ita tamen officio tuo fungere,  
ut nullus rationabiliter queri possit con-  
tra substantiam & modum.

## MEDITATIO CCXXXVIII.

Punct. 1. *Per totam noctem labo-  
rantes nihil cepimus, Luc. c. 5.* Qui  
laborant in nocte ignorantiae, cœcitatis vo-  
luntariæ, peccaminosæ conscientiæ, pro-  
priæ voluntatis, nihil capiunt ad meritum.  
Et hinc tot opera nobis pereunt.

Punct. 2. *In nomine autem tuo la-  
xabo rete, Luc. c. 5.* Quasi diceret:  
Hactenus meæ arti & industriæ confisus ni-  
hi

hil cepi, nunc ad tuam benedictionem totâ fiducia converfus pîscabor. Postquam omnem tuum conatum adhibuisti, tamen tibi omnino diffide, & humillimo affectu in omnibus Dei benedictionem pete. Sine me, ait Christus, nihil potestis facere.

Punct. 3. *Ex hoc autem eris homines capiens*, *Luc. c. 5.* hoc est, si ea sedulitate & contentione, quâ hactenus pisces capere adlaborâsti, homines capere, & ex mari ignorantiae & malitiæ extrahere studueris, eris Princeps Apostolicorum Piscatorum, quorum officium est, omni conatu hominum corda ad Christum attrahere. Nemo à te recedat, nisi melior.

## MEDITATIO CCXXXIX.

Punct. 1. *Si regnum in se dividatur, non potest regnum illud stare.* *Marc. c. 3.* Nihil ita necessarium in communitate, quam unio. Hæc colligat membra unius corporis vinculo charitatis. Qui hoc vinculum rumpit sua importunitate, linguae vitiis &c. elidit animam è corpore hoc. Omnia potius tolera, quam unionem turbes.

Punct. 2. *Si Sathanas consurrexerit in semetipsum, disperitus est, & non poterit stare.* *Marc. c. 3.* Etiam diaboli concordant in nocendo. Væ illis! qui fratrum suorum laudes imminuunt,

vitia própalant, sua jactant, turpiter æmulantur. Indigni sunt, qui in sancta communitate vivant.

Punct. 3. *Quomodo potest Sathanas Sathanam ejicere?* Marc. c. 3. Quomodo malus potest malum corriger aut convertere? Quilibet incipiat à se ipso. Qui se in pace tenet, etiam alios poterit pacificare. Qui in se bonus est, etiam alios poterit bonos facere.

## MEDITATIO CCXL.

Punct. 1. *Dimitte illos, ut euntes in proximas villas emant sibi cibos.* Marc. c. 6. Erant Apostoli solliciti pro auditoribus Christi, ipsum autem non consolabantur eos, quia non poterant: nos autem saepe possumus & nolumus, habemus, & non damus, loqui possumus, & tacemus; quia vera charitas non est in nobis.

Punct. 2. *Date illis vos manducare.*

*Marc. c. 6.* Deus nobis vult uti tanquam instrumentis ad consolandos homines & ideo conetur, neminem à nobis dismittere sine consolatione & auxilio. Divinum est, de omnibus benemereri.

Punct. 3. *Intuens in cælum benedixit & fregit panes, & dedit discipulis suis.* Marc. c. 6. Deus sapissime non dat, quod tamen dat per servos suos,

ex-

expectans nostram humiliationem in petendo consilio, auxilio, ope ab iis, quos Dei loco venerari debemus.

## MEDITATIO CCXLI.

Punct. 1. *Manducauerunt omnes, & saturati sunt. Marc. c. 6.* Implet nimirum Deus omne animal benedictione, & vel maximè omnem hominem audientem sermonem ejus. Qui enim pascit animam cibo spirituali, verbo Dei, sacra lectione &c. pascetur à Deo in corpore cibo corporali.

Punct. 2. *Et sustulerunt reliquias fragmentorum. Marc. c. 6.* De donis Dei nihil perdamus, etiam gratias, ut nobis videntur, minimas: qui enim Deum diligit, nihil negligit, quo ei placere possit. Exigui momenti aliqua aestimamus, quæ in purgatorio per horas & dies juere debebimus.

Punct. 3. *Cùm dimisi et eos, abiit in montem orare. Marc. c. 6.* Post patratum miraculum multiplicationis panum & piscium contulit se Christus ad gratiarum actionem, erudiens nos, ut post omnes gratias, maximè insigniores, gratitudinem nostram demonstremus. Sæpe, qui maxima accipiunt, ingratissimi sunt.

## MEDITATIO CCXLII.

Punct. 1. *Habete in vobis sal, Marc. c. 9.* id est, agite cum prudentia, quæ conditat sermones vestros, & ordinet actiones. Nihil facite cum impetu, nihil inconsideratè. Sine prudentia etiam illa, quæ bona sunt, bona & utilia esse cessant.

Punct. 2. *Habete in vobis Sal. Marc. c. 9.* Id est, quadam acrimoniam & fervorem, qui impediat putredinem tepiditatis & tædiorum in vita spirituali, tam apud nos, quam apud eos, quibuscum agimus.

Punct. 3. *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos. Marc. c. 9.* Qui pacem habere vult inter homines, necessariò pati debet aliquas amaritudines, falsas oblocutiones, & contrarietates, easque dissimulare, & propter Deum & bonum pacis tolerare, in bono malum vincere, prudentiâ malum in bonum vertere.

## MEDITATIO CCXLIII.

Punct. 1. *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. Mare. c. 10.* Potest dicere: reliqui omnia? & sequor te? Omnia, etiam affectum? sequeris, etiam ad montem Oliveti & Calvariæ?

Punct.

Punct. 2. *Qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc.* *Marc. c. 10.* Qui omnia propter Deum relinquit, & Christum secutus est, habet horreum & cellam Dei, nimirum ejus providentiam, fratres, amicos, domos, &c. quæ centies tantum & plus sunt.

Punct. 3. *Et in seculo futuro vitam æternam.* *Marc. c. 10.* Pro quam exigua mercede famuli & famulæ totam vitam suam expendunt, & cum viribus deficiunt, miserabiles sunt! In servitio Dei mercedem centuplam in hac vita, & in altera habemus æternam.

## MEDITATIO CCXLIV.

Punct. 1. *Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi primi.* *Marc. c. 10.* Qui in terris præferebantur omnibus, erunt quandoque ultimi in cœlis, si tamen! Et qui in terris erant omnibus subjecti quasi peripsema, in altis cœli sedibus collocabuntur. Judex justissimus reddet unicuique secundūm opera sua, non secundūm personas, officia, dignitates.

Punct. 2. *Erant autem in via ascendentes Ierosolymam, & precedebat illos Jesus, & stupebant.* *Marc. c. 50.* Properabat ad passionem suam Jesus, & præ-

cedebat fervore exempli: Apostoli autem adhuc imperfecti nondum intelligebant dignitatem patientium pro Deo.

Punct. 3. *Et sequentes timebant.*

*Marc. c. 10.* ne scilicet Magistrum suum amantissimum amitterent, aut etiam ipsi involverentur cum ipso. Sic natura horret ardua; spiritus autem generoso ausu ardua superat, & arctam viam penetrat. Tendentibus ad perfectionem multum obest tepidus timor.

## MEDITATIO CCXLV.

Punct. 1. *Confidite, ego sum, nolite timere.* *Marc. c. 6.* Erant Apostoli in magno timore, ita ut exclamarent. At ubi audierunt: Ego sum; omnem timorem posuerunt. Cogitemus & nos, quando periclitamur: Ego sum, scilicet auxiliator vester, spectator vestri certaminis pro me.

Punct. 2. *Et ascendit ad illos in navim, & cessavit ventus.* *Marc. c. 6.* Si Deus pro nobis, quis contra nos? erit autem pro nobis, si pro ipso solo laboremus, & illum solum queramus. In nave sumus, dum vivimus. Quatitur illa variis ventis & procellis temptationum. Invitemus igitur Christum ut ascendat ad nos in navim.

Punct. 3. *Et plūs magis intra se stupebant, Marc. c. 6.* scilicet propter duo miracula , panum & tranquillati maris. Non capiebant felicitatem suam, quam habebant ex consortio Christi. Feliçes nos ! si felicitatem nostram agnoscimus in servitio Dei. Vestimur in croceis, non amplexemur stercora.

## MEDITATIO CCXLVI.

Punct. 1. *Cavete à fermento Pharisæorum, Marc. c. 8.* Fermentum Pharisæorum est hypocrisis , quæ totam malam boni operis corumpit. Si Sacerdotes, Religiosi ea , quæ faciunt & patiuntur, non propter Deum faciunt & patiuntur, verè hypocritæ sunt.

Punct. 2. *Et fermento Herodis. Marc. c. 8.* Herodes vulpes fuit, ejus fermentum astutia. Væ Christianis politicis ! vae Religiosis ! si juxta mala principia politica conversantur inter homines. Christianus es ? Religiosus es ? Age ut Christus cum omnibus sincerè.

Punct. 3. *Et Fermento Herodis. Marc. c. 8.* fermentum Herodis fuit superbia, qua instigante Tyrannum egit. Superbus nemini parcit , neminem sibi æqualem , longè minus superiorē patitur , omnes contemnit , solus vult eminere,

nere, nihil laudat laudatis invidet, sua jactat.

## MEDITATIO CCXLVII.

Punct. I. *Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, omnium minister,* Marc. c. 9. id est omnium humilius, & hoc ipso Christo similimus, quem Deus exaltavit, & dedit illi nomen super omne nomen. Parum est, infimum locum quaerere, omnibus cedere &c. sed hoc magnum est, se verè infimo loco dignum censere.

Punct. 2. *Et accipiens puerum statuit eum in medio eorum.* Marc. c. 9. Voluit Christus Apostolis ipso facto demonstrare, quousque se demittere deberent, nempe usque ad simplicitatem innocentis pueri, carentis omni fastu, & ad omnia facienda parati.

Punct. 3. *Quem cum complexus esset,* Marc. c. 9. scilicet propter suam simplicitatem & innocentiam tenero amore dignum, & haud dubie prædestinatum ad vitam æternam. S. Martialem fuisse putant. Verè Sapiens c. 12. O quam bonus & suavis est Domine Spiritus tuus in omnibus! scilicet erga simplices & rectos corde.

M E-

## MEDITATIO CCXLVIII.

Punct. I. *Vae vobis Scribe & Pharisæi hypocrite, qui decimatis mentham & anethum ; Matth. cap. 23.* qui ita minima quæque superstitione observatis, maxima autem malitiosè negligitis. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Cura minimorum bona est, maximorum necessaria. Vide ne in parvis sis scrupulosus, & in magnis laxus.

Punct. 2. *Vae vobis Scribe & Pharisæi hypocrite, quia mundatis id, quod dea foris est calicis, & paropsidis, intus autem pleni estis rapinæ, & immunditia. Matth. cap. 23.* Hi sunt servi oculorum hominum, non autem Dei. Modò hominibus satisfaciant, quidquid sit de approbatione Dei.

Punct. 3. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, Matth. c. 22,* scilicet ab habitatoribus & omni supellestile. Væ cordi, in quo Spiritus Sanctus per gratiam suam non habitat! in quo nullus virtutum & bonorum operum thesaurus est! nulla supellex bonorum desideriorum & habituum! Verè domus deserta, quia à DEO deserta.

## MEDITATIO CCXLIX.

Punct. 1. *Digito autem suo nolunt ea movere, Matth. c. 23.* scilicet onera, quæ aliis imponunt. Non est potentius medium ab aliis obtinendi, quæ suades, quam eadem prius facere. Non benedicit Deus zelo eorum, qui ipsimet virtute vacui sunt; non enim sunt congrua instrumenta.

Punct. 2. *Omnia verò opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. Matth. cap. 23.* Nisi verba tua ab intrinseca sanctitate profiscantur, nihil tibi proderunt dicta ac facta tua, aliis valde parum. Quæ verò de corde bono & perfecto procedunt, utrinque fructum proferunt optatissimum.

Punct. 3. *Amant autem primos re- cubitus. Matth. cap. 23.* Nihil ita noxiū ad exemplum ut fastus & superbia. Unus verè humilis & zelosus plus ad Dei gloriam & salutem animarum efficiet, quam centum laudis & honoris cupidi: hi enim non nisi seipso querunt, non autem Deum & animas.

## MEDITATIO CCL.

Punct. 1. *Non enim respicias perso- nam hominum, Matth. cap. 22.* id est, exteriora hominis, sed purè animam, & or-

ornamenta , ac merita animæ. Si amor noster amori Christi esset similis , quām multa non respiceremus , & quām alia?

Punct. 2. Reddite ergo , quæ sunt Cæsaris Cæsari , & quæ sunt Dei DEO. Matth. c. 22. Ita debemus exterioribus vacare , ut interiora non negligamus. Sua quisque curet , & in aliena se non immiscet , & sic D E O & hominibus satisfaciens.

Punct. 3. Audientes mirati sunt , & relieto eo abierunt. Matth. cap. 22. Agnoscebant captiosi Pharisæi , Christum sincerissimam eis veritatem dixisse. nostram quoque virtutem & sinceritatem tandem mirabuntur & venerabuntur homines utut pessimi , si viderint constantiam.

## MEDITATIO CCLI.

Punct. 1. Ille autem respondens ait: nolo , postea autem pœnitentia ductus abiit. Matth. cap. 21. Symbolum est peccatoris pœnitentis , & mandata in posterum observantis. Dixit quidem peccando: nolo: sed agnovit malitiam suam , & compensavit ferventius mandata servando. Quò plus peccasti , hoc maiorem obligationem habes , Deo ferventius serviendi.

Punct. 2. *At ille respondens ait: ecce  
Domine; & non ivit. Matth. cap. 21.*  
Symbolum est multa promittentis &  
proponentis, sed nihil servantis; uti nos  
sæpiissimè facimus, qui, si nostra proposita  
servasssemus, pridem sancti essemus. Ne-  
mini sæpius mentiti sumus, quam DEO.  
Quæ sunt proposita tua? quomodo ser-  
vas?

Punct. 3. *Publicani & meretrices  
precedent vos in regno DEI; Matth. c.  
21. quia voluntatem Dei denique per-  
fecerunt, de peccatis doluerunt, ferven-  
ter pœnitentiam egerunt, magna opera  
fecerunt. Multi autem cognitionibus &  
propositis divites pergunt in sua acedia,  
nihil minus quam verè servi Dei.*

## MEDITATIO CCLII.

Punct. 1. *Ipse vero dormiebat. Matt.  
cap. 8. Laboramus, sudamus, affigi-  
mur, periclitamur &c. & Deus dormire  
videtur. Quare? vult suscitari. Susci-  
taverunt eum precibus, fervore, ope-  
ribus extraordinariis, ut magis æstime-  
mus gratiam, quam dare paratus est no-  
bis. Sunt filii, qui putant, omnia sibi  
deberi; sunt alii, qui parentes suos hu-  
milter rogant. Ex quorum numero tu-  
es?*

Punct.

**Punct. 2.** *Quid timidi estis, modicae fidei?* *Matt. cap. 8.* Christum secum habebant, timere non debebant; hinc increpuit illos propter modicam fidem. O quoties non audemus, quia timemus! & ideo timemus, quia in Deo non confidimus! & ideo in D E O non confidimus, quia modicæ fidei sumus!

**Punct. 3.** *Imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* *Matt. cap. 8.* Omnia obediunt Deo, præter hominem, qui omnium maximè deberet. Obediunt venti & mare, & statim tranquillitas magna est. Non obedit homo, & inde omnis perturbatio est.

## MEDITATIO CCLIII.

**Punct. 1.** *Si quis vult venire post me.* *Matt. cap. 10.* Scilicet relictâ viâ seculi & libertate mundanorum, abneget semetipsum, non ambulando secundùm proprium sensum & judiciu, sed alterius loco D E I, & tollat crucem suam quotidie, nimirum id, quod ipsi in sua vocatione grave est.

**Punct. 2.** *Crucem suam.* Grave est mundanis, servare in omnibus ordinem; non ire quò & quando volunt; fungi his, & non aliis muneribus; non loqui, quando & ubi volunt; nihil habere proprium;

prium , humiliter licentias petere &c.  
hanc crucem mundanis gravem Religiosi  
portant quotidie libenter , & cum gau-  
dio. Quia tamen difficultate non caret ,  
crux est.

Punct. 3. *Tollat Crucem suam* , li-  
berè , animosè , aspiciens in præeuntem  
cum Cruce Christum : qui enim coactè ,  
ex respectu , cum tepiditate suam Cru-  
cem ferunt , graviorem sentiunt , & mi-  
nus , aut nihil merentur. Sacerdos , aut  
Religiosus , qui suam crucem debet ferre ,  
& coactus , non religiosè fert , est martyr  
diaboli.

## MEDITATIO CCLIV.

Punct. 1. *Ut videantur ab homini-  
bus. Matth. cap. 23.* Introspice teip-  
sum , an omnia , & eo modo faceres , si  
in mundo solus es , & nemo te vide-  
ret? O quam multi aliquando respectus  
detegentur?

Punct. 2. *Intra in cubiculum tuum ,  
& clauso oī. o ora Patrem tuum in ab-  
scondito. Matth. cap. 6.* Habesne ali-  
quid veri boni in te , cuius non vis con-  
scios homines? Imò an non plurā ostendis  
coram hominibus , quæ non habes  
coram Deo?

Punct. 3. *Nesciat sinistra tua , quid  
faciat dextera tua. Matth. c. 6.* Ita  
vult

Vult Christus occultari, opera nostra bona , quæ non requiruntur ad publicum exemplum , ut, si posset aliquid dextra manus sinistram celare , deberet facere. Quantos thesauros meritorum perdimus jactantiâ nostrâ !

## MEDITATIO CCLV.

Punct. 1. *Bene omnia fecit. Marca. cap. 7.* id est perfecte : Dei enim perfecta sunt opera , ita ut in nullo habeant defectum ; nostra autem defectibus plena sunt. Si vel unum quotidie opus perfectum Deo exhibere possemus ! Saltem à nullo ad alterum opus propera , sed unum priùs bene absolve.

Punct. 2. *Non invenio opera tua plena coram DEO meo*, qnod idem est, ac perfecta, scilicet charitate , intentione pura , diligentia , perseverantia &c. ita ut sibi Deus in tuo opere complacere possit , & dicere: non frustra dedi meam gratiam huic homini: bene enim illâ usus est.

Punct. 3. *Decet nos implere omnem justitiam. Matth. cap. 3.* Justitiae nostræ sunt quasi lignum , in quo tineæ & vermiculi sunt , scilicet distractionum, præcipitationum, decurtationum, vanitatum , finium & intentionum extravagantium, pigritiarum , & negligentiarum.

Veniet

Veniet Christus , & justitias nostras judicabit.

## MEDITATIO CCLVI.

Punct. I. *Negotiamini , dum venio.*  
*Luc. cap. 19.* Vita Christi fuit plenisima laboribus , miseriis , & persecutionibus. Talis etiam , si bene perpendimus , est nostra. Fuit tamen Christo pretiosissima , quia meritorum feracissima. Cur non & nobis?

Punct. 2. *Negotiamini , dum venio , nimirum in usu temporis , semper operando juxta vocationem nostram , & gratiam à Deo concessam ; omnium enim momentorum & gratiarum rationem dare debebimus. Si Sancti nobis invidenter possent , usum temporis inviderent.*

Punct 3. *Consummatum est , dixit Christus finito vitae suæ curru , sive , omnia implevi , quæ voluit Pater meus. O felices nos ! si in fine vitae nostræ poterimus dicere : Consummatum est , hoc est , omnia feci , quæ debui , quæ potui , quæ D E U S & Superiores mihi imposuerunt.*

## MEDITATIO CCLVII.

Punct. I. *Videns civitatem , flevit super illam ; Luc. cap. 19.* eò quod non cognovisset tempus visitationis suæ , quod illi

illi ad pacem fuisset. **T**empus visitationis nostræ est multiplex: sub variis enim formis apparet Christus ad ostium cordis nostri, pulsat, & non invenit aditum ex causis levissimis &c.

**Punct. 2.** *Si cognovisses & tu. Luc. cap. 19.* Noli negligere vocem Domini intus excitantem: hæc enim vox vox amantis est. Hodie vocat, & forsan cras non revertitur. Et quidem in hac die, misericordiæ nimirum: forsan dies sequens erit dies justitiae. **N**oli dicere: Seria in craftinum.

**Punct. 3.** *Quæ ad pacem tibi. Luc. cap. 19.* Quis negligit occasionem pacis, qui scit, te imparem esse gerendo bello? an expectabis bellum cum DEO? Conditiones pacis aliæ non sunt, quam: Revertere ad Dominum D E U M tuum! revertere à tempore & languore tuo ad forvorem! Prima opera fac.

## MEDITATIO CCLVIII.

**Punct. I.** *Non potest mundus odiſſe  
vos, me autem odit. Joan. c. 7.* Qui juxta mundi principia vivunt, non sunt odio apud mundanos; qui vero juxta Christi principia ambulant, odium mundanorum incurront. Qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Nihil de principiis mundanis tibi adhæget?

**Punct.**

Punct. 2. *Quidam enim dicebant, quia bonus est; alii autem dicebant, non.* Joan. c. 7. Ecce! Ipsa Sanctitas diversis hominum judiciis obnoxia est. Quid angeris? si amicos habes & inimicos? si facta tua alii laudant, alii criminaluntur? Dei judicium time, hominum contemne.

Punct. 3. *Nolite judicare secundum faciem.* Joan. cap. 7. Exteriora vides, interiora nescimus, cur ergo judicamus? Actus videmus, intentionem & circumstantias ignoramus, quid ergo judicamus? Nemo tibi magis notus est, quam tu tibi, & te ipsum non audes judicare, & te ipsum omni studio conaris defendere; quid ad te aliena?

## MEDITATIO CCLIX.

Punct. 1. *In lege autem Moyses mandauit nobis, hujusmodi lapidare,* Joan. cap. 8. nimirum adulteros. Hoc dicebant Judæi non amore justitiæ, sed ut Iesum tentarent. Pharisei sunt iniqui delatores, & omnium, præterquam sui, observatores; non amore disciplinæ, sed ut videantur ipsi exacti, ut se insinuent, ut timeantur.

Punct. 2. *Iesus autem inclinans se deorsum digito scribebat in terra.* Joan. cap.

**cap. 8.** Christus hujusmodi observatores jubet in terram respicere, suæ originis admonet, suæ conscientiæ rationes inspicere vult. In terra legent peccata sua, suos defectus, quibus cognitis facilè aliorum errata dissimulabunt, & se naso trahent.

**Punct. 3.** *Audientes autem unus post unum exibant. Joan. c. 8.* Quid audiebant? terram clamantem, & exprobrantem illis peccata sua. His auditis ne respiciebant quidem ad adulteram. O quam multa quereris, criminaris, accusas in aliis, in quibus ipse summoperè reus es!

## MEDITATIO CCLX.

**Punct. 1.** *Ubi sunt, qui te accusabant?* *Joan. c. 8.* Si quilibet verreret ante suas fores, non essent tot accusatores aliorum. Pharisei videbant in lapis tanquam in speculo sua delicta. Lapis iste conscientia tua est; hanc introspice, & multa videbis, quæ aliis improperas.

**Punct. 2.** *Nec ego te condemnabo.* *Joan. cap. 8.* Dilapsis Phariseis Christus, qui utique poterat, adulteram non condemnavit. Defleverit interim peccatum suum, & veniam à DEO obtinuerit. O felix es! si omnibus judicantibus &

CON-

condemnantibus te, solus Christus te non condemnat. Quies animi tui non sit in potestate hominum, sed Dei.

Punct. 3. *Vade, & jam amplius noli peccare.* Joan. cap. 8. Hæc mansuetudo Christi est, hæc mansuetissima corrigendi ratio, etiam erga graves peccatores. Etiam cùm justè corrigis, & punis, mansuetudinis non obliviscere. Mansuetè corridentibus certò certius & citius patitur, quàm austè exprobrantibus.

## MEDITATIO CCLXI.

Punct. 1. *Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris,* Joan. cap. 8. Christus doctor & dux est. Docet verbo, & dicit exemplo. In omnibus respice Christum, quasi te alloquenter, & docentem, quid & quomodo debeas facere. Persona Christi ita animo tuo sit impressa, ut ejus effigiem in omnibus tibi repræsentare possis.

Punct. 2. *Ego vado, & queretis me, & in peccato vestro moriemini.* Joan. cap. 8. Terribile vaticinium! si Christus discedit infecta re ab homine, & illum sibi relinquit, augebit sua peccata, & in illis interibit. Quò vadit Christus? ad tribunal Judicis, quia non voluisti accedere ad thronum gratiæ.

Punct.

Punct. 3. *Quò ego vado, vos non potestis venire.* Joan. cap. 8. Quare? quia vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Viæ Christi & viæ mundi nunquam conveniunt. Christus humiliat se, mundus exaltat se. Christus paucis est contentus, mundus nullis satiatur. Christus patitur, mundus deliciatur. An in omnibus his cum Christo es?

## MEDITATIO CCLXII.

Punct. 1. *Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.* Joan. cap. 8. Crucifixionem suam vocat exaltationem suam, quia et si videatur esse summa ejus depreffio, Dei tamen providentiâ facta est summa ejus exaltatio, ut omnes gentes Christum crucifixum adorent, & ab eo veniam, gratiam, & gloriam exspectent. In ipsa crucifixione tot portentis honoratâ, agnoverunt Filium DEI. Miracula tua sunt patientiæ tuæ, ex quibus te Religiosi agnoscant fratres tui.

Punct. 2. *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper;* Joan. cap. 8. Patri Filius. Aliqua præcepta sunt, aliqua placita. Crediderim, à te præcepta observari: si autem genuinus es filius, etiam ad

ad placita te resolues, & nihil negliges,  
quod placere Deo agnosces.

Punct. 3. *Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Joan. c. 8.* Cognoscetis veritatem præticè sermones meos servando, & hæc in bono firmitas liberabit vos ab omni contradictione, persecutione, falsitate, & totius mundi machinis; quia tandem bona causa triumphat. Ad solidas & innegabiles veritates te identidem reflecte; & semper in bono constans eris; E. gr. Morieris. Est vita æterna. DEUS dignus est omni tuo amore.

## MEDITATIO CCLXIII.

Punct. 1. *Quomodo tu dicas: liberi eritis? Joan. cap. 8.* Non voluerunt Judæi nomen servi. Respondit Christus: Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. Parùm proderat Judæis, quod essent Filii Abrahæ liberi, si hoc non obstante essent servi peccati. Christianus es? Religiosus es? quid tum? si servus es peccati & tuarum passionum.

Punct. 2. *Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. Joan. cap. 8.* Quid est, esse servum peccati? Servus facit, quod Dominus imperat. Si ergo facis, quæ tua imperat inordinata passio, passio est tua Domina, tu servus.

Punct.

Punct. 3. *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Joan. cap. 8. Parva gloria est, habere magnum patrem, & degenerem esse filium. Dicunt Hebræi: Ex tribus cognosces, quis sit discipulus Abrahæ, & quis Balaam. Qui oculo est gratioso, spiritu benigno, anima satiabili, cui facile satis sit, hic est filius Abrahæ. Qui verò est oculo livido, spiritu superbo, & anima insatiabili, hic est filius Balaam.

## MEDITATIO CCLXIV.

Punct. 1. *Si DEUS Pater vester es-  
set, diligeretis utique me.* Joan. cap. 8.  
qui ejus Filius sum: vos autem quæreritis  
me interficere. Audiant hoc Religiosi,  
qui suam regulam non observant: hæc  
enim Fundatoris partus est. Ergo qui re-  
gulam suam non diligunt, etiam patrem  
non diligunt; & qui quærunt eam inter-  
ficere, etiam patrem oderunt.

Punct. 2. *Vos ex patre Diabolo estis,  
& desideria patris vestri vultis facere.*  
Joan. c. 8. Diabolus semper restitit  
veritati, id ipsum faciunt filii diaboli pec-  
catores, cùm peccatum vel maximè con-  
trarium sit veritati. Qui ex Deo est, ver-  
ba Dei audit, innititur veritati, & volun-  
tatem Dei & ejus Vicariorum facit.

Punct. 3. *Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in eternum; Joan. c. 8.* mortem scilicet animæ, quæ est peccatum: mortem autem corporis subibitis quidem, sed ego vos resuscitabo in novissimo die. Quis non horret mortem corporis? O si æquè mortem animæ timeremus! Quis non timet morbos? O si æquè peccata venialia!

## MEDITATIO CCLXV.

Punct. 1. *Ecce quem amas, infirmatur, Joan. c. 11.* Hæc Mariæ & Marthæ insinuatio magnam continet fiduciam ad Christum. Cogitabant enim: sufficit Christum scire infirmari fratrem suum, quem amat; non enim amat & deserit. Dic etiam tu, tentatus, aut afflictus: ecce quem amas, tentatur, affligitur! amas me? ergo non deseres me.

Punct. 2. *Diligebat autem Jesus Martham, & sororem ejus Mariam, & Lazarum. Joan. c. 11.* Quare tres istos? quia in summa pace, constanti charitate, & aviditate ad Christi verba audienda vivabant. Benedicta domus! ubi hæc trivigent. Vis à Christo diligi? vive pacificus in communitate, exhibe charitatem omnibus, sis diligens in exercitiis spirituibus.

Punct. 3. *Magister adest, & vocat te.* Illa, ut audivit, surgit citè. *Joan. c. 11.* Utraque soror amabat Christum, nulla erat inter illas æmulatio, utraque gaudebat de bono alterius. Quidni amet Christus familiam tam consentientem, tam invicem amantem, tanquam addictam. Gaudebat Martha Martham nunciare adventum Christi, currebat Maria excipere sibi dilectum.

## MEDITATIO CCLXVI.

Punct. 1. *Et lacrymatus est Jesus Joan. c. 11.* ut ostenderet dolorem ex morte amici Lazari, & suum in eum amorem; ut collacrymaretur cæteris ad consolationem; ut adderet lacrymas orationi pro resuscitatione Lazari. Fac aliquid pro amico, etiam cum molestia tua, quod alteri forsan non faceres.

Punct. 2. *Et lacrymatus est Jesus, Joan. c. 11.* Deflebathumani generis miseras per peccatum inventas. Flevit Iudæorum incredulitatem, quod etiam post resuscitationem Lazari non essent credituri: quod Lazarum ex limbo, ceu portu securitatis revocaturus esset ad procellas & ærumnas hujus vitæ.

Punct. 3. *Ait Jesus: tollite lapi dem, Joan. c. 11.* Ordinariè lapis aliquis obstat, ut peccator non possit aut velit pro-  
L dire.

dire de sepulchro peccati sui. Hunc removere debent Confessarii, Concionatores, Superiores, boni amici &c. suavimodo agendi, discreto fervore, invictam patientiam, multis orationibus & mortificationibus, indefesso studio &c. Quis tuus est lap is?

## MEDITATIO CCLXVII.

Punct. 1. *Domine, jam fœtet, quadridianus est enim. Joan. c. 11.* Peccatores inveterati fœtent propter malum exemplum & scandalum conviventium. Quia jam fœtebat, putabat Martha, non esse possibilem resuscitationem. Eadem difficultas est in conversione inveterati peccatoris, aut tepidi Religiosi.

Punct. 2. *Voce magna clamavit: Lazare veni foras! Joan. c. 11.* Non quælibet vox revocat peccatorem ad vitam. Magna vox magna gratia est. O si præmeditaremur resurgendi difficultatem, non haberemus in peccando tantam facilitatem. Sensim delabimur in tepiditatem, non ita sensim exsurgimus ad fervorem.

Punct. 3. *Lazare veni foras. Joan. c. 11.* Veni ex sepulcro tui somni spiritualis, mala occasionis, frigidæ consuetudinis: & prodi in apricum operationum sanctorum; in statum, in quo nihil habeas, quod à Deo vel hominibus timeas; in ordinem opera-

tionum tuæ vocationis; in solidum gaudium servorum Dei.

## MEDITATIO CCLXVIII.

Punct. 1. *Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, Joan. c. 11.* Jam revixerat Lazarus, nondum tamen exsolutus fuerat fasciis. Quando peccator revixit ad vitam, manent tamen adhuc aliqua vincula malorum habituum, & inclinationum. Et hæc oportet solvere per continuatas victorias.

Punct. 2. *Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Joan. c. 11.* Multi ex præsentibus huic resuscitationi crediderunt in Christum, multi exarserunt in livorem. Bona facimus? Erunt, qui laudabunt & sequentur; erunt alii, qui improbabunt & persecuentur. Nunquam credamus, nos omnibus satisfacturos; sed neque cedamus.

Punct. 3. *Ab illa ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum. Joan. c. 11.* Si vis perfectè vivere, & multa bona facere, expecta æmulationes, detractiones, malas interpretationes bonorum & malorum. Nunquam magnum aliquid præstabit, qui ab hominum ore pendet.

## MEDITATIO CCLXIX.

Punct. 1. *Fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha ministrabat. Joan. c. 12.*

Amorem suum liberalem erga Christum ostendit hæc Sancta Virgo, præparans ei cœnam cum suis. Quoties Christus ad te venit? & quam erga eum liberalitatem exerces? Nunquam ille venit vacuus ad te, nunquam illum vacuum à te dimitte. Quid dabis ei hodie?

Punct. 2. *Unxit pedes Iesu, & extersit pedes ejus capillis suis.* *Ioan. c. 12.*  
Amorem suum affectuosum ostendit hæc Sancta Pœnitens erga Christum hospitem suum dilectissimum. Si verè diligis, non esto parcus in intensis affectibus. Sæpe non datur copia magnorum operum, semper autem affectuum.

Punct. 3. *Et domus impleta est ex odore unguenti.* *Ioan. c. 12.* Unum fragrans exemplum implet totam communitatem, præsertim liberalitatis in pedes Christi, scilicet in infirmos, pauperes, derelictos, deformes, quos alius nemo habet in amoribus, & in quibus nihil præter Christum reperitur.

## MEDITATIO CCLXX.

Punct. 1. *Martha autem satagebat circa frequens ministerium.* *Luc. c. 10.*  
Martha bene fecit Christum excipiendo, & convivium parando, debuisset tamen labori jungere devotionem, & audire etiam verbum Domini. Forsan exterio-

ta bene curas, & interiora negligenter ac per unctorię? Propter illa, an propter hæc Religiosus es?

Punct. 2. *Dic ergo illi, ut me adjuvet.* Intercedit aliqua æmulatio, etiam inter fratres, dum vix pati possunt, unum plus tribuere operibus pietatis, aut sublevare in laboribus, aut magis esse in amori- bus. Quisque suo fungatur munere, & de aliis non cogitet: ad quid enim venisti? ad serviendum Deo, non ad placen- dum hominibus, aut otiam dundum.

Punct. 3. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Luc. c. 10.* Non oportet negligere ministeria dome- stica, & in aliorum humeros onus rejice- re; sed optimam partem, quæ est servi- tium Dei, debemus omnibus aliis nego- tiis præponere, & tunc primū ea cu- rare, quæ spectant ad servitium hominum.

## MEDITATIO CCLXXI.

Punct 1. *Venerunt non propter Iesum tantum, sed ut Lazarum viderent.* *Ioan. c. 12.* Sæpe mixta est devotioni nostræ curiositas, sæpe passio & sensuali- tas. Sunt quandoque opera nostra sicut Potus aut cibus pretiosus; sed adsunt im- missæ muscæ aut vermiculi, qui gustum multum impediunt.

Punct. 2. Cogitaverunt autem Principes Sacerdotum, ut & Lazarum interficerent, *Ioan. c. 12.* testem scilicet famosissimi miraculi. Hic est perverorum genius: lapidem mordent instar canum, quando projicientem non posunt. Sed non est confilium contra Dominum. A Deo accipe omnia; non ab homine.

Punct. 3. Ecce mundus vobis post eum abiit. *Ioan. c. 12.* Viderunt Pharisæi, innumeros in die Palmarum cum ramis Christo obviam procedere, & dileabantur cordibus suis præ invidia. Sic invidis intolerabilis est laus & exaltatio aliorum, & omni conatu laborant laudatorum & honoratorum famam obscurare; & hoc ipso probant omni se virtute destitutos & superbiâ inflatos esse.

## MEDITATIO CCLXXII.

Punct. 1. Habebat demonium jam temporibus multis, & vestimento non inducatur. *Luc. c. 8.* Hic est primus effectus peccati inhabitantis, non pati ullam virtutem, quæ sit vestimentum animæ, imò etiam adimit omnem affectionem ad virtutem, ut anima eò remotior sit à Deo & gratiâ.

Punct. 2. Neque in domo manebat. *Luc. c. 8.* Alter effectus peccati est totalis effusio ad exteriora, quibus mens distrahi-

strahitur , ne unquam ad negotia animæ se convertat , aut Dei inspirationes audiat Quærunt mali quotidianas diversiones , ne conscientiam mordentem sentiant.

Punct. 3. *Sed in monumentis. Luc. c. 8.*

Tertius effectus peccati est habitatione in sepulchris , sive quies apud mortuos , dum cum peccatis suis & peccatoribus pacem init , fine horro e peccata auget , & nimium quantum prolongat iniqitatem suam. Signum pessimum , graviter peccare , & non sentire.

## MEDITATIO CCLXXIII.

Punct. 1. *Qui non est mecum , contra me est. Luc. c. 11.* Non admittit Deus neutralitatem. Debemus aperte stare pro ipso , & iuste: quia ipse solus est Dominus noster jure creationis , emptionis , conservationis . Procul amandemus omnes respectus humanos , timores , politicos agendi modos , omnem duplicitatem . Dominum Deum tuum adorabis , & illi soli servies.

Punct. 2. *Revertar in domum meam.*

*Luc. c. 11.* Mentitur diabolus , cum dicit animam nostram domum suam. Fuerit in ea hospes , fuerit in ea tyrannus , nunquam tamen jus habuit in animam nostram. Et hinc quamprimum illum tanquam latronem ejiciamus , & vero Do-

mīno totam restituamus. Nihil remaneat  
in ea, ad quod diabolus jus habeat.

Punct. 3. Et fiunt novissima homi-  
nis illius pejora prioribus. *Luc. c. 11.*  
Nihil periculosis, quam relapsus in pec-  
catum: quando enim relabimur in pecca-  
tum, ostendimus, quasi pœniteret nos,  
diabolum ex pulisse; quasi melius nobis  
esset habitare cum dæmone, quam cum  
Christo.

## MEDITATIO CCLXXIV.

Punct. 1. *Et quis est meus proximus?*  
*Luc. c. 10.* Omnis ille, cui potes bene-  
facere sine discrimine, seu amicus sit, seu  
inimicus. Lex naturæ ita colligat homi-  
nes, ut alter alterius necessitatibus succur-  
rat: Lex Christi autem longè adhuc magis  
illam explicavit. In hoc cognoscent omnes,  
quia discipuli mei estis, si dilectionem ha-  
bueritis ad invicem. *Joan. c. 13.*

Punct. 2. *Viso illo preterivit.* *Luc.*  
*c. 10.* Sacerdos & Levita viderunt ho-  
minem spoliatum & vulneratum. An  
non natura illis dictavit: quid tibi vel-  
les fieri in hac calamitate jacenti? ambo  
autem (quod est turpissimum, Sacerdos &  
Levita) transferunt. Potésne miserum  
eernere, & non juvare?

Punct. 3. *Samaritanus autem iter*  
*faciens venit secus eum, & videns eum*  
*mi-*

*misericordiâ motus est.* *Luc. c. 10.*  
 O quâm multos confundit hæc Samaritani parabola ! currunt, inserviunt, die noctûque hærent apud Dominos & Dominas, & personas dilectas, pauperes autem in angulis jacentes, miseros, & tantum non computrescentes ne respiciunt quidem.

## MEDITATIO CCLXXV.

Punct. 1. *Anima, habes multa bona, posita in annos plurimos, requiesce.* *Luc. c. 12.* Promittit iste sibi annos plurimos, cùm ne de una nocte certus sit. Cogitat in hac vita requiescere, in qua est constans inconstantia. Cura, ut multa bona habeas, posita in annos æternos & requiem sine fine.

Punct. 2. *Qua antem parasti, cuius erunt ?* *Luc. c. 12.* Fecisti nescio quas provisiones pro tuo corpore, & spem tuam extendisti in longissimam fruitionem, cui providisti ? Nulla melior est providentia, quâm quâ quotidie es ad abeundum paratus. Hæc una & maxima tua cura sit.

Punct. 3. *Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives;* *Luc. c. 12.* qui abundat omnibus transitoriis, & non habet thesaurum aquod Deum ; cui Deus thesaurus suus non est, qui extra Deum consolationem suam querit ; qui aliquid amat, quod propter Deum non amat.

## MEDITATIO CCLXXVI.

Punct. 1. *Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de ceteris solliciti estis?* *Luc. c. 12.* Serviamus Dominum sincerè, & omnem aliam curam de futuris projiciamus in finum Divinæ providentiæ, cui est cura de nobis, eaque longè major, quam nobis de nobis ipsis esse potest. O quam frequenter frustra nos fatigamus spebus aut timoribus!

Punct. 2. *Considerate lilia agri.*  
*Luc. c. 12.* Quam pulchrum & ex omni parte perfectum est lilyum? Deus sic vestit, Deus sic conservat. Utique pluris sumus Deo, quam lilyum? modò quo ad omnia relinquemus nos Deo, quo ad omnia provideret nobis Deus. Absque perfecta resignatione nulla quies est in animo.

Punct. 3. *Querite primum Regnum Dei, & justitiam ejus, & haec omnia adjacentur vobis.* *Luc. c. 12.* Exercitia tua spiritualia, conscientiæ tuæ puritas, virtutum religiosarum studium sint tua prima cura. Et tunc ille, qui implet omne animal benedictione, dabit rebus tuis incrementum.

## MEDITATIO CCLXXVII.

Punct. 1. Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in sicutineas hæc, & non invenio. Luc. c. 13. Quot annis expectat te Deus? putasne fructum invenit? & fructum competentem donis, quibus te Deus hactenus cumulavit?

Punct. 2. Succide ergo illam, quid etiam terram occupat? Luc. c. 13. Status tuus terra tua est, quam occupas. Vivisne convenienter perfectioni status tui? Collige in unum omnia tua ferventia proposita, & vide, quonam sensim sint dilapia.

Punct. 3. Domine, dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, Luc. c. 13. Hæc sit oratio tua. Nunc autem incipe fodere, laborare, sudare, te vincere & mortificare. Stercora sunt pinguedo terræ. Pinguedo tua est fervens oratio, frequens cum Deo conjunctio, rerum spiritualium fervida tractatio. Anima, quæ benedicit, impinguabitur. Prov. c. 11.

## MEDITATIO CCLXXVIII.

Punct. 1. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non preparavit, & non fecit secundum va-

*Inntatem ejus , vapulabit multis.*  
*Luc. c. 12.* An non habes maximam cognitionem voluntatis Divinæ? respondetne opus cognitioni? Quæreris semper scire, incipe aliquando facere.

*Punct. 2. Omni autem, cui multum datum est , multum queretur ab eo.*

*Luc. c. 12.* Vide, ne beneficia Dei multas graves rationes tibi faciant. Non erit Deus tecum contentus communi vitâ Christianorum, sed exiget ferventium vitam Religiosorum, proportionatam talentis, & gratiis, & occasionibus tuis.

*Punct. 3. Ignem veni mittere interram , & quid volo , nisi ut accendatur?* Quem ignem, nisi fervoris? Si Deus mittit ignem, quid obest aut deest, quod in te non accendatur? Forsan ligna tua nimis viridia sunt, ut ignem non concipient? Ligna viridia passiones vehementes sunt, non satis mortificatæ inclinationes, frigus animi.

## MEDITATIO CCLXXIX.

*Punct. 1. Mulier , que habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo,*  
*& erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.* *Luc. c. 13.* Spiritus iste & inclinatio est adhæsio ad terrena, quæ facit, ut non possis sursum respicere ad spiri-

**Spiritualia & æterna.** Quot annis jam,  
& quibus adhæres?

Punct. 2. *Quam cùm videret Ies-  
sus, vocavit eam ad se. Luc. c. 13.* Te  
vocat, ut appropies ei per meditationem  
vitæ illius, & seriam imitationem. Im-  
ponet tibi manus per concursum copio-  
fioris gratiæ suæ, si in te videat defide-  
rium. Hætenus à longè secutus es eum  
in terminis generalibus.

Punct. 3. *Confestim erecta est, &  
glorificavit Deum. Luc. c. 13.* Quam-  
primum primam difficultatem imitatio-  
nis Christi superaveris, & ad altiora ani-  
mam exeris, glorificabis Deum, id est,  
dabis gloriam Deo, quod animam tuam  
in servitio Dei longè majori consolatione  
& pace repleverit, quam unquam in lan-  
guore tuo antè habueris.

## MEDITATIO CCLXXX.

Punct. 1. *Domine, si pauci sunt,  
qui salvantur? Luc. c. 13.* Audiens  
quidam doctrinas Christi sensui valde  
contrarias. cogitavit, hac ratione pauci  
salvabuntur. Ita est, Regnum cœlorum  
vim patitur, & violenti rapiunt illud. Vis  
esse inter paucos? vim infer. Cui? tibi  
& cupiditatibus tuis, uni præsertim, quæ  
aliarum maxima causa eit.

Punct. 2. *Contendite intrare per an-*

*gustam portam.* *Luc. c. 13.* Quia porta cœli angusta est, opus est contentione seu conatu, quo te humilis, & quasi parvum facias coram Deo & hominibus. Si caput erigis, magni te & tua faciendo, per has angustias non transibis.

Punct. 3. *Tunc incipietis dicere: manduca vimus coram te, & bibimus.* *Luc. c. 13.* Fuimus Christiani Religiosi, Sacerdotes & quasi familiares tui. Dicet autem Christus: nomen habuistis Christiani, Religiosi, Sacerdotis, sed non opera. Imò, quia vos inter familiares meos passus sum, debuissetis longè alia à me dicere.

## MEDITATIO CCLXXXI.

Punct. 1. *Quid hoc audio de te? reddo rationem illationis tuae.* *Luc. c. 16.* Quare? quia diffamatus es, quasi dissipasses bona Domini tui. Quæ? tempus, sanitatem, talenta, occasiones, sanctas inspirationes, vocationis gratias &c.

Punct. 2. *Qui fidelis est in minimis & in majori fidelis est.* *Luc. cap. 16.* Ut facilius possis rationem reddere, non neglige minora, & majora facilius declinabis. Nemo repente fit pessimus. A languore & tædio rerum spiritualium incipitur, & sensim ad peccata graviora fit progressus.

Punct.

Punct. 3. *Nemo servus potest duobus Dominis servire. Luc. c. 10.* Quid proderit claudicare in duas partes? Si Dominus est Deus, ipsi soli servire necesse est; si autem libertas, velut pullus onagri vagaberis. Creatura itaque cum sis, Creator Dominus tuus est. Huic ergo soli servies.

## MEDITATIO CCLXXXII.

Punct. 1. *Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum. Luc. c. 18.* Ingens arrogantia est, vel uni homini se praeferre; tum quia alterum judicat, cum quia sibi & non Deo adscribit illa, propter quae se alteri praefert. Proximus ad lapsum gradus est magna sui aestimatio.

Punct. 2. *Fejuno bis in Sabbatho. Luc. c. 18.* Improperat quasi Deo sua bona opera, & propter illa alterum contemnit, ac ob id ipsum omne meritum perdit vanissimus jactator. Quando oramus, humiliare nos debemus, & instar mendicorum expectare Domini Dei nostri liberalitatem.

Punct. 3. *Deus propitius esto mihi peccatori. Luc. c. 18.* Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Deus vult implere vasa cordis nostri, & quo magis fuerint vacua à fastu, eò liberalius implet; sunt autem vacua, quae penitus nihil habent de vana sui præsumptio-

ne. Peccatores sumus. Utique satis hoc est ad humiliandos nos.

## MEDITATIO CCLXXXIII.

Punct. 1. *Uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum.*

*Matth. c. 25.* Hoc penes Dominum est; penete, cum hoc, quod dedit, esse contentum, & operari. Veniet Dominus, & rationem exiget. Multa accepisti? multa exiget. Pauca accepisti? pauca exiget, & cum paucis erit contentus.

Punct. 2. *Abscondi talentum tuum in terra.* *Matth. c. 25.* Hoc responsum otiosorum est, & malè contentorum. Sufficiat tibi placere Domino vel in magno, vel in parvo, modo placeas Domino. Gratus esto pro minimo, sicut pro maximo,

Punct. 3. *Inutilem servum ejicite in genebras exteriores.* *Matth. c. 25.* Inutilis servus est, qui Domini sui gloriam non auget; qui talentum suum non reddit cum usura seu lucro; qui vocationi suæ non satisfacit; qui animas, quæ sunt bonum Domini, non adducit; qui plus commodati suæ, quam beneplacito Dei studet; qui ad finem, ad quem creatus est, non tendit.

## MEDITATIO CCLXXXIV.

Punct. 1. Illud autem scitote, quoniam si sciret Paterfamilias, quâ horâ fur venturus esset, vigilaret utique. Matth. c. 24. Fur est mors. Hæc, quia incerta, & tamen certissima est, infidiciatur tibi. Vide, ut inveniat paratum. Non differas, quæ aliquando voles, nunc præstare. Non cogitemus de morte, tanquam re valda remota.

Punct. 2. Beatus ille servus, quem, cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem, Matth. c. 24. sic, id est, nunc facientem, qualis vellet inveniri in morte à Christo, scilicet purgatus ab omni peccato, plenus meritis, totus cum Deo conjunctus, nulli rei perituræ alligatus.

Punct. 3. Super omnia bona sua constituet eum. Matth. c. 24. Quām magna speramus pro parvis, quæ relinquimus! Vide ne parva hæc pluris facias quām magna, quæ sperare potes. Forsan non rudente alligaris, sed filio? sed & hoc impedit, ne liber ad Deum avoles.

## MEDITATIO CCLXXXV.

Punct. 1. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Matth. c. 4. Hæc sit responsio nostra in omni tentatione:

ne : omnis enim tentatio exhibit nobis aliquid, quod Deo præferamus, quod à Dei servitio nos abstrahit, quod sceptrum in corde nostro affectat.

Punct. 2. *Dominus noster Deus noster timet te*, juxta textum Hebraicum. Quid timemus ? malum, & eum , qui infligit malum. Quod est majus malum mala morte, judicio & sententiâ damnationis æternæ , ipsa damnatione ? Hæc omnia sunt in manu Dei , qui ea pro peccatis nostris potest infligere. Quidni ergo hunc solum timeamus ?

Punct. 3. Pulcherrimè S. Cyprianus : Dejicit se de culmine generositatis suæ , qui admirari aliquid post Deum potest. Quid enim sunt omnia Deo comparata ? nisi vanitates, umbræ , fôrdes? quæ nec amari, nec timeri merentur.

## MEDITATIO CCLXXXVI.

Punct. I. *Non est bonum sumere patrem filiorum & mittere canibus. Marc. cap. 7.* Voluit Christus dicere : ad Israëlitas missus sum , non ad idololatras. Charitas debet esse ordinata, & illis priùs succurrere, quibus magis obligamur, dein etiam aliis. Visitamus infirmos , consolamur affictos, monemus errantes foris, & domi negligimus ; forsitan & nos ipsoſ?

Punct.

Punct. 2. Utique Domine; nam catelli comedunt sub mensa de miciis puerorum. Marc. cap. 7. Magna humilitas! Non ægrè ferebat comparari cum canibus mulier hæc; sed instabat precibus. Quid non denique obtinet humilium oratio apud Deum! Cogita te quasi catellum in comparatione DEI servorum.

Punct. 3. Propter hanc sermonem vade, exiit dæmonium à filia tua. Marc. cap. 7. Humilis ista responsio expulit superbum dæmonem. Oratio humiliantis se penetrabit nubes. Agnoscamus, nos magis dependere à miseratione Domini Dei, quam canes à liberalitate heri

## MEDITATIO CCLXXXVII.

Punct. 1. Magister, hac omnia observavi à juventute mea. Marc. cap. 10. Hoc tu forsitan dicere non potes, & ideo in amaritudine animæ tuæ deplo- ra peccata tua, ut tanquam pœnitens habeas vitam æternam. Si autem id ipsum potes dicere, humilia te & gratias age, atque ad perfectiora enitere.

Punct. 2. Jesus autem intuitus eum dilexit eum, Marc. cap. 10. id est, suavissimo oculorum obtutu illum respexit, signi-

significans , quanto amore prosequatur eos , qui Divinæ voluntati perfectè obediunt. Putásne , quòd similem amorem aspectum sis meriturus in posterum?

Punct. 3. *Unum tibi deest, Marc. cap. 16.* scilicet ad perfectionem ; nempe vera spiritus paupertas , & ab omnibus rebus creatis abstractio , sine ulla adhæsione inordinata ad ullam creaturam.

## MEDITATIO CCLXXXVIII.

Punct. 1. *Misereor super turbam , quia ecce jam triduo sustinent me.* *Marc. cap. 8.* Magnus profectò auditorum Christi fervor & insignis patientia ! quam Christus grandi miraculo remuneri voluit. Quid non evincimus denique perseverantiā in orando & patiendo? Nimis bonus est Deus ; non potest nos perseverantes videre & non exaudire.

Punct. 2. *Manducaverunt & satiati sunt, Marc. c. 8.* panibus scilicet & piscibus. Paupertina mensa fuit ; saturati tamen sunt. Paucis natura contenta est , paucis paupertas , paucis sanitas. Nunquam queritur, qui verè Religiosus est.

Punct. 3. *Et dimisit eos, Marc. c. 8.* pastos nimirum cibo spirituali & corporali. Divinum quid est, neminem à se dimittere, nisi rationabiliter contentum. Ipso opere auxi-

auxilio esse non potes? sis saltem verbo sincero, & benigno, cui credi possit. Est homo homini DEUS, est homo homini IUPUS.

## MEDITATIO CCLXXXIX.

Punct. 1. *Venit Jesus à Galilea in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. Matth. cap. 3.* Profundissima Christi humilitas exprobrat Phariseis baptismum hunc fugientibus, & nobis sumam superbiam nostram. Videri volebat coram hominibus peccator, qui omnino non erat, & nos volumus videri semper innocentes, qui sumus verè peccatores.

Punct. 2. *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Matth. cap. 3.* Quam iustitiam? an ad ullam pœnitentiam obligabatur Sanctitas? omnem nempe occasionem merendi, & virtutem exercendi. Qui Deum diligit, nihil negligit. O quot occasions faciendo bona negligimus! quantum est tedium nostrum in aggrediendo humilia!

Punct. 3. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Matth. c. 3.* propter stupendam humiliationem. Ipse Spiritus Sanctus descendit ad hoc spectaculum. Angeli attoniti hæserint, videntes, Regem iuum sub schemate pec-

peccatoris, pœnitentiam agentis. Quid tu ad hæc? repo in abyssum confusus.

## MEDITATIO CCXC.

Punct. 1. *Vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine. Matth. cap. 9.* Mirabilis vocatio ad Apostolatum ex telonio! Mirabilis DEUS! qui vocat ea, quæ non sunt, sicut ea, quæ sunt. Quid vidit Christus in telonario? quid in te?

Punct. 2. *Et dixit illi: sequere me. & surgens secutus est eum. Matth. c. 9.* Magna gratiæ potentia! magna resolutio Matthæi! Aude aliquid, generose anime, & uno actu heroico certam fac vocacionem & prædestinationem tuam! Hæres ad telonium, hoc est, ad unum aliquem scopulum, hunc transili.

Punct. 3. *Ecce multi publicani & peccatores venientes discumbebant cum Iesu. Matth. c. 9.* Neminem excludit Christus à charitate sua, neminem excludet à tua. Forsan agis cum magnis inter mille respectus & timores perdendi favorem vanissimum! Quam fructuosiùs, quam tibi gloriösiùs ageres cum minimis!

## MEDITATIO CCXCI.

Punct. 1. *Domine, si tu es, jube,  
me ad te venire super aquas. At ipse  
auit: veni. Matth. c. 14.* Magnus amor  
Petri erga Christum! magna fides! Am-  
bulat supra aquam, ut citò veniat ad  
Christum. Ecce, quām nihil amori sit  
impossibile, nihil fidei! Quām magna fa-  
ceremus, si verè diligemus, & vivaci-  
ter crederemus!

Punct. 2. *Videns verò ventum vali-  
dum, timuit. Matth. c. 14.* Quam-  
primum Petrus dubitavit, & in fide va-  
cillavit, Christus à miraculo cessavit. Ne-  
mo magis impedit Deum à beneficiis no-  
bis conferendis, quām nosmet ipsi! Nos  
à fiducia nostra delistimus, nos de DEI  
bonitate dubitamus, nos patrem nostrum  
esse obliviscimur.

Punct. 3. *Clamavit, dicens: Do-  
mine salvum me fac! & continuò Je-  
sus extendens manum apprehendit eum.  
Matth. cap. 14.* Permittit nos DEUS  
tentari & periclitari, ut nos commone-  
faciat fragilitatis nostræ; continuò autem  
extendit manum suam, si cum fiducia ad  
illum configimus, & nostram imbecilli-  
tatem fatemur. Nosce te ipsum.

## MEDITATIO CCXCII.

Punct. 1. *Simile est Regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Matt. cap. 13.* Thesaurus absconditus sunt opera meritoria; ager est vita præsens, in qua thesaurus iste apud plurimos non est in æstimatione. Qui autem illum nō runt æstimare, omnia alia contemnunt, ut istum sibi thesaurum comparent. Maxima negligimus, minima curamus.

Punct. 2. *Inventâ autem unâ pretiosâ margaritâ, abiit & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam. Matt. cap. 15.* Margarita hæc est gratia, cuius unus gradus pretiosior est omnibus mundi thesauris. Si nō sememus perfectè gratiæ pretium, usque ad sanguinem laboraremus pro ejusdem augmento.

Punct. 3. *Emit eam. Matth. c. 13.* Non est emptio mirabilior, quam gratiæ. Pro uno supirio venalis est gratia, quæ habet divitias æternum mansuras, & possessionem thesauri infiniti. Quare non identidem emimus? quia gratiæ pretium non perpendimus.

## MEDITATIO CCXCIII.

Punct. 1. *Exiit, qui seminat, seminare. Matth. cap. 13.* Qui seminat, Deus est. Semen, quod seminatur, sunt gra-

gratiæ actuales. Terra , in quam semi-natur, est cor humanum. Quotidie Deus seminat: cadit autem semen secus viam, quando inspirationes Divinas nobis eripi finimus à volucribus , ab inconstantia nostra.

Punct. 2. Alia autem ceciderunt in petrofa , ubi non habebant terram multam. Matth. cap. 13. Mutamus identidem proposita nostra, & nova inquirimus , & sic nunquam agunt radices. Bonâ relinquimus, meliora inquirimus, nulla servamus.

Punct. 3. Alia autem ceciderunt in spinas, & creverunt spinae, & suffocaverunt illa. Matth. cap. 13. Negotia, curæ , occupationes nimiae , timores &c. ita facultates nostras obruunt, ut de propositis non aut cogitemus, aut resiliamus, tali omnia alia esse magis necessaria, quam ea, quæ ad Deum sunt.

## MEDITATIO CCXCIV.

Punct. I. Exeuntes autem Pharisei consilium adversus eum faciebant quomodo perderent eum. Matth. cap. 12. Invidia malorum , & incorrigibilitas sceleratorum servis Dei insidias & exitium. Bruunt. Fac bonum , & neminem time. Sic pati , sic mori glorioissimum est. Re-

ligiosus es ? ergo mundi hostis. Quid aliud, nisi hostile expectes?

Punct. 2. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus. Matth. cap. 12. Mansueti & humiles fugiunt contentiones & clamores; propugnant veritatem absque commotione & impetu, & sic influunt in mentes hominum, modestè tacendo plus efficiunt.

Punct. 3. Hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub. Matth. c. 12. Aliud à mundo non spera, quām maledicta & ingratitudines pro beneficiis. Transiit Christus beneficiendo, & sanando omnes, & non nisi blasphemias & contumelias retulit, non tamen ideo destitit. Pro certo habe: omnium dilectissimi erunt omnium ingratissimi, & qui pene negligebantur, gratissimi.

## MEDITATIO CCXCV.

Punct. 1. Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Matth. c. 11. Illi in Christo scandalizantur, qui erubescunt Christi humilitatem, paupertatem, & patientiam; qui nolunt imitari pro ratione vocationis suæ; Iqui nihil volunt experiri de iis, quæ expertus est Christus, nihil sentire de incommodis vitæ religiose &c.

Punct.

Punct. 2. *Abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis.* Matth. cap. 11. Quinam sunt hi parvuli? qui se Deo perfectissima humilitate subjaciunt, & ex omni parte se à Deo pendere agnoscunt, parvi in oculis suis, & secum agi permittunt, sicut Deus vult.

Punct. 3. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. c. 11. Ad me in omni negotio confugite, & mecum onus vestrum dividite. Sicut Simon Cyrenæus me juvit in portanda cruce mea, sic ego vos juvabo in portanda vestra. Sicut sine me nihil potestis facere, ita sine me nihil velitis facere.

## MEDITATIO CCXCVI.

Punct. 1. *Qui recipit vos, me recipit.* Matth. c. 10. Qui vobis, Apostolis meis, minimis meis, benefacit, mihi benefacit. Quid non faceremus Christo ad nos venienti, & à nobis aliquid petenti? Da proximo in nomine Christi, & Christo dedisti. Nemo tam pauper est, qui non possit beneficium præstare alteri in nomine Christi.

Punct. 2. *Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidae, tantum in nomine discipuli,*

puli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam; Matth. cap. 10. hoc est, qui aliquid, quod quocunque modo ad me spectat, amaverit & foverit, à me recipiet, à me redamabitur in vitam æternam.

Punct. 3. *Unus ex illis (passeribus) non cedet super terram sine Patre vestro.*

*Matth. cap. 10.* Tanta cura est DEO de hominibus, etiam despiciatissimis coram mundo, ut de singulis juvandis cogitet. Si passeris non obliviscitur, quomodo hominis obliviscetur? Et nos quoties, & quamdiu obliviscimur Dei.

## MEDITATIO CCXCVII.

Punct. 1. *Qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus;* *Matth. cap. 10.* hoc est, qui amat aliquam creaturam cum offensione Dei, non est dignus, quem Deus amet.

Punct. 2. *Qui invenit animam suam, perdit illam.* *Matth. c. 10.* hoc est, qui corpus suum & vitam suam plus amat, quam servitium Dei, excidet à servitio Dei. Qui, ne corpori molestiam faciat, intermittit, quæ Dei sunt, sensim animæ detrimentum faciet. Qui vitam suam prolongaturus nimium delicate se gerit, animæ incrementum detrahit.

Punct.

Punct. 3. *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Matth. cap. 10.* Qui nibil pati vult propter me, non est dignus, cui applicem fructum passionis meæ. Nemo potest me sequi, nisi cruce aliqua oneratus. Nemo cœlum ingredietur, nisi crucem aliquam exhibuerit, quam pro me gestavit,

## MEDITATIO CCXCVIII.

Punct. I. *Quarebat videre Jesum, quis esset, & non poterat præ turba, quia statu râ pusillus erat. Luc. cap. 19.* Placuit Christo desiderium Zachæi, & ideo datâ operâ suspexit in arborem, in qua sedebat, & vocavit eum. Quām bonus est D E U S! qui etiam remuneratur desideria & bonam voluntatem nostram, si operis non habemus facultatem.

Punct. 2. *Zachæe festinans descendit, quia nō die in domo tua oportet me manere. Luc. cap. 19.* Quanto cum gaudio & festinatione Zachæus ex sicomoro descendit! Festinans descendit, & suscepit illum gaudens. Et quis non festinet accipere talem hospitem? quis non gaudeat? Quoties pulsatur ad sacrificium, cogita, Christum invitare te ad se suscipiendum in domo tua. Quo gaudio vadis?

Punct. 3. *Hodie salus domui huic facta est. Luc. cap. 19.* Ubi Christus habitat, ibi salus. Habitat autem ibi, ubi liberaliter omnia dimituntur, quæ in domo non deberent esse. Zachæus obtulit omnia. Quid tu?

## MEDITATIO CCXCIX.

Punct. 1. *Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo. Joan. c. 4.* Est homo homini lupus, est homo homini Deus. Hoc est: Ita nos erga homines geramus, ut nullus possit dicere: hominem non habeo, qui mihi benefaciat. Nihil gloriosius homini, quam hominem juvare.

Punct. 2. *Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Joan. cap. 5.* Morbus hujus hominis fuit poena peccati; ideo, ne relabatur, monuit ipsum Christus. Pejor est culpâ recidiva peccati, ob maiorem ingratitudinem & impudentiam, ac etiam maiorem proclivitatem ac consuetudinem. De propitiato peccato noli esse sine metu; noli tibi fidere vel ad hominem!

Punct. 3. *Ne deterius tibi aliquid contingat. Joan. cap. 5.* Qui recidit in morbum, gravius ægrotat, quia corpus priore morbo jam est debilitatum. Sic

Sic qui recidit in peccatum. Non est gravior pœna, quam Deus potest homini infligere, quam si unum peccatum puniat reincidentia in alterum peccatum.

## MEDITATIO CCC.

Punct. 1. Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio; *Luc. c. 10.* dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Melius dixissent: plurimi convertuntur ad doctrinam tuam; quia hic est finis primarius operariorum, quem unicè debent quære. Accidentia subinde vana sunt.

Punct. 2. *Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. Luc. cap. 10.* Quid eis profuisset, multos ex obsessis expulisse dæmones, si post omnem laborem suum suæ salutis incurii ad ipsos etiam venissent dæmones? Inter convertendos tu prlaus esto.

Punct. 3. *In ipsa hora exultavit Spiritus Sancto, Luc. cap. 10.* prævidens salutem electorum, & fructum laborum ac sanguinis sui, eorum præsertim, quos ante oculos habebat, pauperum, simplicium, plebejorum &c. qui non scandalizabantur in Magistri sui paupertate & humilitate.

## MEDITATIO CCCI.

Punct. I. Observabant eum, si Sabbatho curaret, ut accusarent illum.

Marc. cap. 3. Hi sunt, qui omnia observant, ut habeant, quod corrigant, deferant & calumnientur, non ex charitate aut amore disciplinæ, sed ut ipsi exacti videantur, & aestimentur, cum ipsi sint omnium imperfectissimi, & suæ perfectionis incurii?

Punct. 2. Liset Sabbathis benefacere? Marc. cap. 3. Hi observatores plerumque non penetrant rationes, propter quas aliquid fit; judicant intentiones hominum, quas scire non possunt; laedunt charitatem, dissolvunt concordiam, se ipsos negligunt, sunt homines etiosi, & solitudinis religiosæ hostes.

Punct. 3. Circumspiciens eos cum ira contristatus super cœcitate cordis eorum. Marc. cap. 3. Hi, qui in omnia se immiscent, & omnia volunt corrige-re, contristant cor DEI cœcitate sua, involant in judicium Dei, Superioribus sunt molesti, judicant & deferunt juxta suas imaginationes, se ipsos non cognoscunt, omnibus se meliores putant, nullam solidam virtutem habent. Noli esse justus nimium in oculis tuis.

## MEDITATIO CCCII.

Punct. 1. *Si vis, potes me mundare.* *Marc. cap. 1.* Magna fides & fiducia leprosi hujus in Christum fuit. Vide, quæ in te lepra sit, & postmodum dic Christo: Si vis mei misereri, potes me mundare à lepra defectus hujus mei; ut autem velis, aspice in me summam de potentia & bonitate tua fidem & fiduciam meam, quibus ex mea parte conjungam specialem diligentiam.

Punct. 2. *Iesus autem misertus ejus extendens manum suam.* *Marc. cap. 1.* Vide, quām libenter D E U S adjuvet, si confidenter ab eo auxilium petimus, & ipsimet efficaciter velimus liberari à defectibus nostris. Extendit manum suam, gratiam suam, arripe illam.

Punct. 3. *Volo, mundare.* *Mare. cap. 1.* O quoties vult D E U S, ut mundemur, & ipsi non adhibemus remedia, per quæ D E U S nos vult mundari; aut quia amori proprio sunt gravia, aut quia non inquirimus in defectus nostros, & sic volumus, & non volumus mundari.

## MEDITATIO CCCIII.

Punct. 1. *Non est occultum, quod non manifestetur.* *Luc. c. 8.* Ergo nulli  
M 5 un-

unquam loquere , quod nolles manifestum fieri. Ergo manifesta omnia , & nihil occulta , quod nolles coram toto mundo manifestari ad confusionem tuam. Ergo nihil age , quod malum sit , in occulto ; quia nihil potes agere in occulto : quid enim ages , cui Deus & Angelus tuus non intersint ?

Punct. 2. *Qui habet , dabitur illi.*

*Luc. cap. 8.* Qui habet gratiam , & operatur cum illa , singulis momentis fit ditior. Tanta est efficacia gratiae , ut omnia faciat meritoria , etiam quae alias sunt indifferentia , si propter Deum fiant. Diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum.

Punct. 3. *Quicunque non habet , etiam quod putat se habere , auferetur ab illo.* *Luc. cap. 8.* Qui non est in gratia , nec conatur ad illam pervenire , spoliabitur à Deo plurimis adjumentis , quibus deficientibus properabit magnis passibus ad ruinam. Suntne defectus tui tales , qui facile possunt fieri graves ?

## MEDITATIO CCCIV.

Punct. 1. *Ipsum interrogate ; etatem habet.* *Ioan. cap. 9.* Nolebant parentes cœci nati testimonium dare in favorem CHRISTI , quia Judæos timebant. Id ipsum faciunt tepidi Christiani & Re-

& Religiosi, qui verecundantur, detrahentibus, male agentibus, contra veritatem loquentibus resistere, ne incurvant invidiam aut odium malorum; canes, non valentes latrare, ne amittant suos aut suas.

Punct. 2. Pharisei nec parentibus, nec cœco curato credere voluerunt ob exacerbatum in Christum & depravatum animum. Hæc malitia est depravati affectus, quæ etiam in rebus clarissimis & justissimis obfuscat intellectum. Non sis præoccupatus. Nunquam ita obfirma animum, ut rationem non admittas. Nihil ex passione.

Punct. 3. Contrà expende cœci curati pium in Christum affectum. Fassus est sine metu coram inimicis Christi suam curationem, defendit Christi innocentiam, publicè est confessus, eum esse à DEO, non esse peccatorem. Age etiam tu causam Christi, causam innocentium, afflictorum, & tanquam murum te interpone, etiam si extra Synagogam (amicitiam malorum) fias.

## MEDITATIO CCCV.

Punct. I. *Quoniam in furorem verius est. Marc. cap. 3.* Si Christus gravissimam hanc censuram ab amicis suis toleravit, quid te oportet facere, qui non es sanctissimus, neque circumspectis  
M 6 sumus,

simus, si etiam tui te persequuntur? sed erit opus heroico silentio, absque hoc, quod ulli afflictionem tuam queraris.

Punct. 2. *In principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Marc. c. 3. Gravissima hæc in Christum fuit blasphemia, quam tamen modestissimè refutavit. Omnes tuas injurias & afflictiones tuas confer cum hac. Noli tristari, noli conqueri, noli irasci, noli mutare tua bona proposita, noli quærere vindictam, sed tace, & Di-vino judicio contentus esto.

Punct. 3. *Qui non congregat mecum, spargit.* Marc. c. 3. Congregat cum Christo, qui ad finem creationis & vocationis suæ facit omnia. Spargit, qui plurima facit extravagantia, sine fructu, sine merito, sine coniunctione cum Deo; sed dicitur suo gusto, sua inclinatione, sua persuasione.

## MEDITATIO CCCVI.

Punct. 1. *Et surgens Jesus sequebatur eum.* Matth. c. 9. Quamprimum Princeps Christum rogavit, statim ivit Christus. Imitare hanc in gratificando facilitatem, &, quod potes facere, & vis facere, fac statim, fac vultu hilari, fac cum magna charitate, etiam cum tuâ molestia.

Punct.

Punct. 2. *Et cùm ejecta esset turba, intravit. Matth. c. 9.* In & cum turba nihil agitur serium, ordinatum & prudens, sed omnia cum tumultu. Quare, si vis excitare mortuum, te, vel alium, in solitudine aggredere hunc actum. Vis excitare plures ad fervorem, aggredere singulos.

Punct. 3. *Et deridebant eum. Matth. c. 9.* Cum hac petulantia turba etiam nos quandoque aliorum bene dicta, bene facta, bene omissa improbamus & deridemus, non tantum in corde, sed etiam coram aliis, omnium censores facti antè, quam rationem audiverimus. Non sis primò occupantis.

## MEDITATIO CCCVII.

Punct. I. *Curavit in ea ipsa hora multos à languoribus, & spiritibus malis, & cæcis multis donavit visum.*

*Luc. c. 7.* Qui in servitio Dei languent, sunt tepidi & remissi in operibus suis. Qui plagas habent, sunt, qui defectus habent aliis notos cum offensione. Curantur hi a Christo manuum impositione seu amore ad labores statui convenientes.

Punct. 2. Alii vexantur a spiritibus malis, hoc est, suggestionibus puritati contrariis, aut unitati. Illis dicit Christus: Sufficit tibi gratia mea: si nimirum strenue

fugerint, principiis obstiterint, occasio-  
nes declinârint, coram Deo se humiliâ-  
rint. His: Hæc mando vobis, ut invicem  
diligatis.

Punct. 3. Alii cœci sunt; quia ita vi-  
vunt, ac si non viderent per fidei oculos.  
Quid non vident? Magis quærenda esse  
bona mansura, quam transitura; magis  
curandam esse gratiam Dei, quam favo-  
rem hominum; magis attendendum esse  
defectibus propriis, quam alienis; ma-  
gis serviendum communitati, quam com-  
modis propriis.

## MEDITATIO CCCVIII.

Punct. 1. *Defunctus efferebatur fi-  
lius unicus. Matth. c. 7.* Imaginare  
tibi statum defuncti hujus, & cogita, quid  
doluerit hæc anima à se factum vel omis-  
sum, dum esset in corpore? quid desidera-  
verit facere, si daretur ei redditus ad vi-  
tam? quid timuerit, sciens, se ad severum  
Judicem trahi.

Punct. 2. Cogita, si hoc momento de-  
beres mori, quid faceres? quid optares?  
quid timeres? Fortasse veniet dies ista post  
aliquot primum annos? veniet tamen.  
Fortasse veniet brevi? sive tardè, sive  
citò venerit, dispone domuituæ.

Punct. 3. *Efferebatur filius unicus,*  
solarium unicum & unica spes matris. Sci-  
vit hoc Deus, & permisit. *Doctrina hæc*  
*tua*

tua sit in omni casu , ut non queraris, aut inordinate tristeris in ullo eventu , utut inexpectatissimo , gravissimo , tristissimo . Deus scivit , & permisit , & hujus permissionis gravissimas causas habuit.

## MEDITATIO CCCIX.

Punct. 1. *Turba civitatis multa cum illa.* *Luc. c. 7.* Vidua hæc debuit esse vitæ bonæ & pacificæ , alias non tam multi funus hoc comitati fuissent. Magnum aliquid est , in communitate vivere , & virtutem cum pace conservare. Mansuetudo tamen & patientia hoc obtinent.

Punct. 2. Quantum in te est , compate re patientibus verbo & opere: nam Deo summopere placet hæc exhibitio charitatis , valde conciliat nobis homines , certò similem mensuram charitatis nobis obtinebit à Deo , remuneratore omnium beneficiorum proximis exhibitorum propter se.

Punct. 3. *Tetigit Christus loculum,*  
*& dixit: Adolescens, tibi dico, surge.*  
*Luc. c. 7.* Christus non tantum loculum, sed ipsam animam nostram tangit in SS. Eucharistia , & eadem verba ad nos dicit: Tibi dico , surge , nimirum è ferto languoris , & aliorum defectuum , quos nos bene novimus , & in quibus jam longo tempore jacemus.

Punct.

## MEDITATIO CCCX.

Punct. I. *Nunquid & nos cœci sumus?*

*Ioan. c. 9.* Respondit Christus interrogantibus Phariseis: Si cœci essetis, non haberetis peccatum. Cœci non sumus. Si ergo peccamus, videntes, scientes, volentes peccamus. Lumine abundamus, sed lumina claudimus.

Punct. 2. *Eādem quippe mensurā, quā mensi fueritis, remetietur vobis.*

*Luc. cap. 6.* Mensura, qua erga Deum utimur, est liberalitas vel parcitas nostra: eādem mensurā utitur D E U S erga nos. Fit etiam, ita disponente Divina providentia, ut proximi nostri eādem mensurā loquendi, benè vel male faciendi erga nos utantur, quā erga ipsos usi sumus.

Punct. 2. *Mensuram bonam & confortam, & coagitatam & superfluentem dabunt in sinum vestrum. Luc. cap. 6.* Quinam? illi, quos vestris beneficiis & liberalitate juvistis; animæ defunctorum, quas liberasti; rudes, quos instruxisti; pauperes, quibus misericordiam exhibuisti; quorum omnium loco se Deus vadem constituit.

## MEDITATIO CCCXI.

Punct. I. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Joan. c. 7.* Si quis ardet

det desiderio cognoscendi & amandi Christum, accedat ad eum in SS. Eucharistia, cum incensis affectibus, & Divino sanguine sitim extinguat. Causa una ex præcipuis, quare in SS. Communione non experiamur felicem refocillationem, est, quia non sitimus. Ideo autem non sitimus, quia præstantiam hujus spiritualis potūs non bene perpendimus.

Punct. 2. *Quare non adduxisti illum?* Joan. cap. 7. Christum scilicet. Responderunt emissarii: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo. Tanta vis est verbi D E I! tanta vis est meditationis verbi Dei! tanta vis est gratiæ, ut nulla prævaleat tentatio inimici cuiuscunque contra hominem se cum DEO unientem, & locutioni Dei auscultantem.

Punct. 3. *Nunquid aliquis ex Principibus credidit in eum, aut ex Pharisais?* Joan. c. 7. O miseram conditionem Magnorum, Sapientum, & omnium eorum, qui nescio quæ coram mundo agunt, interim autem curam Religionis, devotionis, virtutum deponunt. Humilis rusticus, sed bonus Christianus omnibus illis felicior & Deo gratior est.

## MEDITATIO CCCXII.

Punct. 1. *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Joan. cap. 2. Verba sunt  
Vic-

Virginis Matris ad servos sponsi vino deficiente. Maternâ fiduciâ totam dispositionem Divino Filio suo reliquit, non absterrita verbis, nullam spem facientibus. Sed quid neget Matri Filius? quid cum plena resignatione & fiducia orantibus? Dei cor expugnas, si confidis.

Punct. 2. *Omnis homo primum bonum vinum ponit. Joan. c. 2.* Ita est, initia mundi dulcia sunt, extrema gaudii luctus occupat. Initia peccati suavia sunt & alliciunt, in fine mordent ut coluber. Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis! Rom. c. 6. Ingressus viæ Domini nonnullis sensibus oblitus est, exitus autem floridus.

Punct. 3. *Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. Joan. c. 2.* Vinum, quod lætificat cor hominis, est pax conscientiae & spes vitæ æternæ. Hoc non datur nisi iis, qui priùs potati sunt amaritudine abstinentiarum à voluptatibus peccaminosis, victiarum de tentationibus & passionibus, & mortificationum carnis & sensuum.

## MEDITATIO CCCXIII.

Punct. I. *Et audierunt eum duo discipuli (Joannis) loquentem & secuti sunt Iesum. Joan. cap. 1.* Non ægrè tulit joannes discellum discipulorum suorum

rum ad sequendum Iesum. Hic verè humilium sensus est, non sentire, cùm derelinquuntur, & omnes alios, ad quos itur, se meliores credere. Et qui non ita sentit, prodit, se aliquid aliud quædere, quam animas.

*Punct. 2. Adduxit eum ad Iesum.*

*Ioan. cap. 1.* Andreas invento Christo statim fratrem suum Simonem Petrum hujus magni boni participem esse voluit. Fratres sumus. Gaudeamus itaque de omni bono fratum nostrorum; & gratulemur nobis, si habeamus fratres in omnibus felices. Sic faciunt beati. Etsi enim plurimi plurimos in gloria se superiores videant, non invident, sed congaudent.

*Punct. 3. A Nazareth potest aliquid boni esse?* *Ioan. c. 1.* Nationali spiritu agebatur Nathanaël, contemnens omnes Nazarenos, non expendens, ubique esse homines bonos & malos. Non omnes Hierosolymitani sunt boni, non omnes mali. Stultum est, totam nationem contemnere, totam probare.

## MEDITATIO CCCXIV.

*Punct. 1. Bene omnia fecit. Marc. c. 7.* In his verbis tota virtus est. Quid sunt dies nostri? sunt opera dierum nostrorum, quæ si omnia fiant bene, boni sunt dies nostri, bona est tota vita nostra.

Jam verò multi nobis dies elabuntur, in quibus non omnia opera nostra bona sunt, & bona non omnia perfectè bona.

Punct. 2. *Bene omnia fecit; Marc. c. 7.* id est, bene incepit, bene prosecutus est, benefiniit. Incepit cum sancta intentione, prosecutus est cum labore & intentionis renovatione, finiit cum eadem intentione, gratiarum actione, non properando ad alia.

Punct. 3. *Bene omnia fecit.* Marc. c. 7. Cum præsentia animi, superatione difficultatum, non se & sua, sed Deum quærendo, in tempore debito, modo præscripto, applicatione perseverante. O quot irrepunt defectus in uno opere, etiam per se bono!

## MEDITATIO CCCXV.

Punct. 1. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam;* *Mattb. c. 5.* intellige, æquo animo propter DEUM. Plurima merita destruimus intus impatiens, foris querelâ. Solo DEO teste patiamur, quod patimur; quia solum habebimus Judicem & Remuneratorem.

Punct. 2. *Et vos persequentur, quia de mundo non estis.* *Joan. c. 15.* Genius mundi tractat purè terrena, lucra, commodity, delicias, fraudes &c. genius Christi primariò spiritualia, secundariò trans-

sitoria , & ista sic , ut spiritualia fiant Mirum proinde non est , si mundani nobis adversentur.

Punct. 3. *Positus est hic in ruinam.*

*Luc. c. 2.* Quibus? malis Christianis, qui Christum nomine referunt , factis autem imitari nolunt , ex quibus Christus reluceat. Timeant etiam Sacerdotes & Religiosi , qui nonnisi ex veste tales esse agnoscantur , de perfectione autem & virtutibus Christi nihil exhibent ; sed tempore suo Christo nauicam movent.

## MEDITATIO CCCXVI.

Punct. 1. *Alia autem ceciderunt in terram bonam , & dabant fructum suum. Matth. c. 13.* Hoc ipso terra tua bona non est, si non fert fructum ; forsan autem tantum trigesimum , cum posset ferre sexagesimum aut centesimum ?

Punct. 2. *Cum autem dormirent homines , venit inimicus ejus , & superseminavit zizania. Matth. c. 13.* Quis est iste inimicus ? & quando venit ? Inimicus homo est ui nobis dormientibus seu otiantibus optimum nobis tempus surripit inutilibus colloquiis , laboribus , distractionibus &c. per quae omnia tanquam semina spuria succrescent zizania & neglectus virtutis.

Punct.

Punct. 3. *Colligite primum zizania, & alligate ea in fascieulos ad comburendum.* Matth. cap. 13. Fasciculi hi erunt purgatorium nostrum. Quam prudenter ageremus, si in hac vita colligemus ad comburendum, in qua ignis non est tantæ vehementiæ, quantæ in altera, & tamen citius comburit. Nimis multa differimus.

## MEDITATIO CCCXVII.

Punct. 1. *Beati misericordes.* Matth. cap. 5. Totus Christus est mera misericordia erga nos. Erga ipsum vicissim misericordes esse possumus, si in alios misericordes exhibuerimus nos: Duo sunt opera misericordiæ maxima, benefacere his, qui se nullo modo possunt juvare, & his, qui omnium minimè de nobis merentur.

Punct. 2. *Beati mundo corde.* Matth. cap. 5. Deum in hac vita clarius cognoscere, & in altera poterimus, si omnia, quæ inter Deum & nos se interpolant, removerimus. Ingredere in interiora animæ tuæ, & vide, quænam illa sint?

Punct. 3. *Beati pacifici.* Matth. cap. 5. Qui pacem intra se habent, & apud alios faciunt & conservant, filii Dei sunt.

sunt. Vide ~~cuius~~ filii sint, qui neque se-cum, neque cum aliis pacem habent. Multam in nobis & cum aliis pacem ha-bere possemus, si nos non cum aliorum officiis & actionibus implicaremus.

## MEDITATIO CCCXVIII.

Punct. 1. *Quare discipuli tui com-munibus manibus manducant panem?* *Marc. cap. 7.* id est, non lotis. Ad hujusmodi minutias non præceptas atten-debant Pharisei, & gravissima peccata, non curabant. Quid potest esse magis Pharisaicum, quam in omnibus rebus es-se accuratum, præterquam in cultu Dei?

Punct. 2. *Irritum facitis prace-ptum Dei, ut traditionem vestram ser-vetis.* *Marc. cap. 7.* Sic multi alligati sunt suis devotiunculis, & observationi-bus, interim negligunt charitatem, or-dinem, pacem &c. communitatis, dum capiti suo obsecudent.

Punct. 3. *Populus hic labiis me ho-norat, cor autem eorum longè est à me.* *Marc. cap. 7.* Verba damus D E O; cùm autem ad opus arduum pervenitur, nulla subest virtus, nulla patientia, nul-la constantia, nulla sui victoria. Quare? Ita Deo servire vellemus, ut nil nobis accideret grave.

## MEDITATIO CCCXIX.

Punct. I. *Videns civitatem flevit super illam. Luc. cap. 19.* Ecce! quām bonus sit Deus! flet, dum debet punire, mallet, ah! mallet non punire. Monet minatur, expectat nos; nos autem nostrā pertinaciā, nostrā rerum secuturā incuriā illum ad puniendum cogimus.

Punct. 2. *Coangustabunt te undique. Luc. cap. 19.* Veniet dies, in qua inimici nostri nos cingent. Quinam? peccata nostra, & in summas angustias nos redigent. Präveniamus ergo, & diem hanc nostrā pœnitentiā, satisfactione, & SS. Patronorum invocatione nobis faciem faciamus.

Punct. 3. *Eò quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Luc. cap. 19.* Visitat nos Christus amicabiliter in hac die, quæ ad pacem nobis. Hanc igitur diem, hoc tempus gratiæ non negligamus. Quis scit, an talis dies iterum ventura sit? Spiritus enim vadit, & non revertitur.

## MEDITATIO CCCXX.

Punct. I. *Exemplum dedi vobis. Joan. cap. 13.* Magno desiderio teneatur DEUS, videndi in nobis Filii sui imaginem

ginem ad vivum depictam. Quòd si nos videre vult solos, & ærumnis contritos, ac oppressos, non aliò tendunt ejus curæ & cogitationes, quam ut illa image in nobis perficiatur.

Punct. 2. *Non est servus major Dominu*s *suo. Joan. cap. 13.* Nos servi sumus, Christus est Dominus noster. Meditemur itaque, quomodo Æternus Pater tractaverit Filium suum Dominum nostrum, & nos servi erubescemus gemitus, & querelas, & effugia, quandò paullò durius tractamur.


Punct. 3. *Si hec scitis, beati eritis, si feceritis ea. Joan. cap. 13.* Multa decernuntur à Principibus, Magistratibus, & Superioribus bene & laudabiliter; sed quid proderunt omnia, si **executio** illorum non urgeatur? Sciendo voluntatem Domini nostri beati non erimus, sed faciendo. Proponendo virtuosí non erimus, sed exequendo.

## MEDITATIO CCCXXI.

Punct. I. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua. Matth. c. 22.* Totum cor sibi Deus creavit, totum amori suo vendicat. Totam animam sibi sponsam elegit, vide, an omnes animæ tuæ potentiae illi soli deserviant,

Punct. 2. Secundum autem simile est huic. Ibid. Amor enim proximi verus amor non est, si propter Deum non est. O quam longe alia quandoque in proximo querimus, quam Deum! Seztamur accidentia, & substantiam non multum curamus.

Punct. 3. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Matth. c. 22. Quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Ad hunc lapidem lydium examina charitatem tuam. Forsan non est aurum purum. Scoriam quandoque admiscet æmulatio, invidia, avaritia, spes, sensualitas, pigritia, & hujusmodi, quæ oculis Dei occultari non possunt.



## MEDITATIONES In aliqua Festa per annum.

### MEDITATIO CCCXXII.

In Feste S. Sebastiani M.

Punct. 1. Dabo vobis os & sapientiam. Luc. cap. 21. Miles, Aulicus, & Sanctus, tria miracula in S. Sebastiano. Miles ferventissimus inter Ethnicos Duces & commilitones. Aulicus Apostolicus inter

inter inimicos juratos Christi. Sanctus inter illicia ad omnis generis peccata. Nonne haec magna sunt Divinæ gratiæ miracula! Grandis res, generosus animus Deo cooperans!

Punct. 2. Tyranno in faciem edidit fidei Christianæ professionem, exprobavit in Christianos crudelitatem, Marcum & Marcellianum aliisque plurimos in fide confortavit. Dedit scilicet Christus os & sapientiam ei, qui pro ejus gloria pericula contempsit, vitam & sanguinem obtulit, mundum, & omnem ejus gloriam contempsit.

Punct. 3. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Luc. c. 6. Sagittis meta factus, ac denique fustibus contusus gloriosam animam pro Christo dedit. Sagittas in corpore suo exceptit, ut ab aliis sagittas mortis averteret, Patronus in morbis præsertim epidemicis à Christo factus. Etiam de te virtus exibit, & sanabit omnes, si ad omnes magna fuerit in te charitas.

## MEDITATIO CCCXXIII.

In Festo S. Joannis Chrysostomi  
Ep. & Eccl. Doct.

Punct. 1. *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & con-*

*tradicere omnes aduersarii vestri. Luc.*  
*cap. 21. Mater Dei S. Joannem Chry-*  
*sostomum adhuc puerum virgineo suo*  
*laete lactavit. Quidni collastaneus Chri-*  
*sti sapientiam hauserit vietricem de omni-*  
*bus adversariis suis? Imperatricem, se-*  
*ductos humano respectu Episcopos, ma-*  
*lè congregatam Synodum imperturbabi-*  
*li veritatis constantiā devicit.*

Punct. 2. Scripsit plurima & solidissima, adstante ad latus S. Paulo Apostolo, cui erat devotissimus, ejusque epistles summa veneratione percoluit. Ea, devotione & ardore animi Sacrificium Missæ celebravit, ut ipse Spiritus Sanctus supra ejus caput apparuerit. Ut Sacram. Scripturam penitus intelligeret, Sancti Petrus & Joannes ei claves & librum porrexerunt.

Punct. 3. Veritatis propugnator acer-  
 rimus bis ab impiis in exilium missus est,  
 in quo post innumerabiles afflictiones &  
 ærumnas toleratas à S. Basilisco Episcopo  
 & Martyre, ad cuius sepulchrum orabat,  
 ad æternam gloriam invitatus est, di-  
 cente: Joannes frater, crafinus  
 dies nos loco conjun-  
 get.

## MEDITATIO CCCXXIV.

In FESTO Purificationis B. M. V.

Punct. 1. *Postquam impleti sunt dies Purgationis ejus. Luc. c. 2.* Ascendit ut mater peccatrix Virgo Sanctissima: Nos sumus peccatores, & videri non volumus. Verè dixit: Nigra sum, sed formosa; nigra coram hominibus, formosa coram DEO. Quām pulchri sēpe sumus coram hominibus, quām nigri coram DEO!

Punct. 1. *Ut facerent secundūm consuetudinem Legis, Luc. c. 2.* quā non tenebatur Virgo. Verè dixit: Nolite me considerare, quòd fuīca sīn, quia decoloravit me sol. Nempe circumcidī se paf-fus est Christus, signum peccatoris accipiens, Sol meus! Hanc ipsam ob causam purificationis legem subivi Virgo Mater, ut essem similis Filio.

Punct. 3. *Ut perfecerunt omnia secundūm Legem Domini, Luc. c. 2.* offerendo Christum in templo, & redimendo eum pari turturum. Exacta legum observantia Religiosi hominis characteristica est. Præceptis Divinis formatur homo Christianus, Regulis Religiosus. Ubi nulla Regularum cura est, ibi nulla Religio.

## MEDITATIO CCCXXV.

In Festo Sanctorum Martyrum Japonensium Pauli Michi, Joannis de Goto, & Jacobi Chisai.

Punct. 1. *Tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. Matth. c. 20.* Hæc de Christo, hæc de perfectis imitatoribus Christi, & Martyribus Japoniis, qui post plurimum hebdomadarum arctam captivitatem, irisionem publicam per urbium compita, infamem aurium refectionem crucifixi & lanceis confossi sunt. Quis tibi animus ad hæc?

Punct. 2. *Christo confixus sum cruci. Gal. c. 2.* Antequam cruci affigerentur, jam erant cruci affixi clavis votorum & omni mortificationis genere. Vult Religio tua homines mundo crucifixos, & sibi mortuos. Quid adhuc vivit in te, quod Christo non vivit?

Punct. 3. *Mibi autem abfit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Gal. c. 6.* Cum gaudio & exultatione suam quisque amplexati sunt crucem. Non ita tu: adhuc enim tristaris, quereris, talionem meditaris, Cyrenæo similior quam Christo. Multum perdimus de nostra patientia, quia non patimur cum gaudio.

ME-

## MEDITATIO CCCXXVI.

In Festo S. Mathiae Apostoli.

Punct. I. *Episcopatum ejus accipias aliter.* Act. c. 1. In locum Judæ proditoris suffectus est S. Mathias. Horrendum exemplum Divinorum judiciorum! Non æstimavit vocationem suam Judas, neglexit gratiam, quæ data est ei, sedet in inferno Apostolus. Quis non timeat, ne alius accipiat coronam ejus?

Punct. I. *Tu Domine, qui corda nōsti omnium, ostende, quem elegeris ex tuis duobus unum.* Act. c. 1. In omni electione tua sit primus gressus tuus ad Deum, seposito omni respectu carnis, sanguinis, affectus, commodi temporalis elige, quod coram Domino bonum videbitur.

Punct. 3. *Cecidit fors super Matthiam.* Act. c. 1. Sortes mittuntur in simum, & à Domino temperantur. Prov. c. 16. Vide ergo, ne Deum impediā inspirantem. Acceptavit electionem Matthias, sed non procuravit. Sunt, qui obedientium è numero esse volunt, postquam per varias artes & stratagemata id obtinuerunt, non quod Deus, sed ipsi voluerunt.

## MEDITATIO CCCXXVII.

De S. Josepho Patriarcha.

Punct. 1. *Joseph virum Mariae. Matth. c. 1.*

Hunc elegit Deus Sponsum Virginis Sanctissimæ, Nutritum Divini sui Filii, mysteriorum maximorum Coadjutorem. Non autem Deus illum elegisset, nisi fuisset justus, castus & in omni virtute sanctus, qui deceret talem Sponsam, talem Filium, tantorum mysteriorum partipem. Vide, quid requiratur ad instrumentum magnarum rerum.

Punct. 2. *Joseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere. Matth. c. 1.*

Ex una parte nolehat esse particeps, si quid intercurrisset sceleris; ex altera parte volebat consulere famæ suæ Conjugis verè justus, cuique tribuens suum, Deo, Mariæ, sibi. Nulla cautela nocet.

Punct. 3. *Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge. Matth. c. 2.*

Thesaurum suum, Filium Dei, & Matrem Dei credidit Deus Pater tutelæ tuæ. Magna & cœca obedientia Josephi surgentis media nocte, nihil obloquentis aut dubitantis. Magna patientia adeuntis terram Gentilium, & inter hos habitantis in sudore vultus sui, ut haberent hæ personæ Sanctissimæ, quo viverent.

ME-

## MEDITATIO CCCXXVIII.

In Festo S. P. Benedicti Fund.

Punct. 1. Ex visæ oīm feminæ recordatione immundum Spiritum fœdis cogitationibus sibi importunum inter urticas & spinas se volvendo ita fugavit, ut nunquam amplius rediret. Una generosa resolutione opus est ei, qui hujusmodi tentationibus impugnatur; seria nimirum avulsione ab omnibus, quæ hujusmodi fœdas species ingenerare possunt.

Punct. 2. Discipulorum quendam è templo per vestis laciniam à Dæmone extrahi vidit, cui deinde spiritum orationis impetravit. Laciñæ, quæ Dæmoni ad nos distrahendos usui esse possunt, sunt defectus applicationis, curiositates oculorum & aurium, oblivio præsentiae Dei &c.

Punct. 3 Spathario, qui Regis Totilæ personam fingebat, dicit: Depone fili, quod geris, nam tuum non est. Vide, ne aliam personam extrinsecus referas, quam intrinsecus sis, ne Deus tibi aliquando dicat: Depone vestem, quam geris, nam tua non est, Christiani, Sacerdotis, Religiosi.

## MEDITATIO CCCXXIX.

In Festo Annuntiationis B. M. V.

Punct. 1. Ave gratiâ plena. *Luc. c. 1.*  
Hæc est salutatio, Angelo à SS. Trinitate  
N 5 dicta-

dictata; salutatio cum summa veneratio-  
ne erga Matrem Dei mox futuram, plenam  
gratiā super omnes Sanctos, ex omnibus  
totius mundi hominibus electam, & tunc  
in Isaia legendo occupatam: *Ecce Vir-  
go concipiet Filium.*

Punct. 2. *Dominus tecum. Luc. c. 1.*  
Cura, ut in omnibus actionibus tuis Do-  
minus sit tecum. Sit tecum, eum haben-  
do in viva præsentia. Sit tecum cum sua  
benedictione humiliter invocatus. Sit te-  
cum in affectuosa conjunctione. Sit tecum  
post omnimodam resignationem in omnes  
dispositiones ejus.

Punct. 3. *Ecce ancilla Domini. Luc.  
c. 1.* Summa Mariæ V. humilitas ad se  
attraxit Filium Dei. Facta est Mater, quæ  
ambiebat Matris Dei esse famula. Nulla  
melior est dispositio ad accipiendam & au-  
gendam gratiam, quam profunda humili-  
tas & perfecta sui nihili cognitio: tunc  
enim Deus solam habet gloriam.

## MEDITATIO CCCXXX. In Feste Septem Dolorum B.M.V.

Punct. I. *Attendite & videte, si est  
dolor sicut dolor meus. Thren. c. 1.* Vi-  
dit morientem, quem tenerimè super  
omnia dilexit. Vedit innocentem mori  
infamissimo suppicio. Vedit toto corpo-  
re

re laniatum, inter gravissimos dolores morientem, & hæc omnia vidit Mater in Deo Filio.

Punct. 2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* *Luc. c. 2.* Gladius tortoris corpus Matris non attigit, sed animam crudeliter affixit; quia Christum amisit, & cum Christo omnia; amisit modo indignissimo, dolorosissimo. Quid tali Matri talis Filii potuit esse luctuosius? Et hujus tu doloris non minima causa fuisti.

Punct. 3. *Positus est hic &c. insignium cui contradiceretur.* *Luc. c. 2.* Contradiciones plurimas Pharisæorum & Principum audivit Mater sequens prædicantem, longè autem gravissimas blasphemias in monte Galvariae præiens. Quot verba, tot gladii in corde Matris, agnoscens injurias Deo suo, Filio suo intortas. Si verè Deum, si Matrem Dei diligis, fac hos dolores etiam tibi proprios.

## MEDITATIO CCCXXXI.

### De S. Georgio Martyre.

Punct. 1. *Labora velut bonus miles Christi Iesu.* *2. Tim. c. 2.* Verè bonus miles Christi Georgius, qui cadendo in acie vicit hostes Dei & suos. Militis est præparare arma, vigilias agere, stare in acie, pugnare. Idem fac in pugna spirituali pro Christo & anima tua.

Punct. 2. *Nemo militans Deo impli-*  
*catur se negotiis secularibus, ut placeat*  
*ei, cui se probavit.* 2. Tim. c. 2. Implica-  
 tur, qui per ea à Divino servitio & exer-  
 citiis suæ vocationis distrahitur. Deo mili-  
 tas. *Huic te proba, ut placeas, à rebus*  
*ad tuam curam non pertinentibus abstra-*  
*ctus.*

Punct. 3. Georgius idem est ac agrico-  
 la, qui terram arat, occat &c. In hanc  
 terram Deus projicit semina optima.  
 Tuum erit, circumdare agrum sepe, eradi-  
 care zizania statim in primordio. Seps est  
 sensuum custodia. Zizania sunt negligentiae,  
 pigritiae, somnolentiae &c. His occurren-  
 dum statim, antequam invalescant.

## MEDITATIO CCCXXXII.

In Festo S. Philippi Apostoli.

Punct. 1. *Et invenit Philippum, &*  
*dicit Jesus, sequere me.* Joan. cap. 1.  
 Non casu sed ex destinato invenit Jesus  
 Philippum, & ad sui sequelam invitavit.  
 Invenit te Jesus; quanta gratia! Quæfir  
 te Jesus; ô amor extraordinarius! Ad sui  
 sequelam te invitavit; ô signum prædesti-  
 nationis! Sequere ergo, ut decet.

Punct. 2. *Accesserunt ad Philippum,*  
*dicentes: Domine, volumus Jesum vi-*  
*dere.* Joan. c. 12. Erat Philippus mul-  
 tum

tum Christo similis , aspectu & moribus amabilis ; & ideo ad eum habebant confidentiam. Hi sunt ad trahendos homines aptissimi , qui Christum referunt vitâ & moribus ; qui sunt erga omne genus hominum mansueti , affabiles , pacifici.

Punct. 3. *Dicit ei Philippus : Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Joan. c. 14.* Multa identidem audiebat Philippus de Patre Christum loquentem , & hinc inflammatus desiderio videndi Patrem rogavit Christum , ut eum sibi ostenderet , cum dicto : & sufficit nobis. An sufficit tibi Deus ? Nimium avarus aut ignorans est , cui Deus non sufficit.

## MEDITATIO CCCXXXIII.

### In Festo S. Jacobi Minoris Apost.

Punct. 1. Fuit filius Mariæ Cleophæ , feminæ sanctissimæ , Christi cognatus , & prima adolescentia familiaris. Propter suam sanctitatem vocatus est justus , Jerosolymæ primus Episcopus per annos viginti novem ; ita omnibus , charus , ut eum etiam Judæi tolerarint propter morum amabilitatem & sanctitatem.

Punct. 2. Orationi fuit deditissimus , ut frons & genua callum induerint ex frequenti geniculatione & capit is usque ad terram inclinatione. Carne , vino , oleo , balneis , vestibus laneis & omnibus aliis

deliciis abstinuit. Fuit refugium omnium Christianorum Jerosolymam confugientium. Solus intrare permisus est in Sancta Sanctorum.

Punct. 3. Statutus supra pinnaculum Templi, & iussus suam sententiam de Christo dicere, respondit clamore valido : Ipse sedet in cœlo à dextris magnæ virtutis & potentiae Dei, & in nubibus cœli venturus est. Quare de alto dejectus & vecte fullonis occisus est, deprecans Deum pro occisoribus suis : verè Apostolus verbo & opere Christum prædicans.

## MEDITATIO CCCXXXIV.

In Festo B. Joannis Francisci Regis  
Soc. Jesu.

Punct. 1. Nulla unquam ruditas vel cruditas, aut petulantia hominum ipsum ad impatientiam commovit. Etiam seria increpatio nullum ab ipso avertit; quia modus proponendi talis erat, ut omnes adverterent, optimo animo dici. Totus exterior homo sanctitatem spirabat, & in sui venerationem omnes trahebat.

Punct. 2. In omnium pauperrimos & abjectissimos zelum suum exserebat. Summa ejus consolatio erat, videre horum pauperculorum paratissimam voluntatem ad omne bonum. Necessestatibus eorum providebat conquirendo vestes, viualia & hujusmodi, quæ largiendo parabat ingress.

gressum ad salutem animarum. Feminas etiam luridissimas & desperatissimas ad frugem reduxit.

Punct. 3. In summis persecutionibus & vitae periculis, quæ ob erectas exitio animas incurrebat, animum ad mortem paratissimum ostendit. Nullum laborem credebat nimium, si per eum saltem unum peccatum posset impedire. Quia erat humilitatis & paupertatis studiosissimus, ideo etiam Deus ad ejus consolationem permisit, ut in stabulo & rerum omnium inopia moreretur.

## MEDITATIO CCCXXXV.

In FESTO B. Aloysii Gonzagæ  
Soc. Jesu.

Punct. 1. Velle, ut possem ire per totum mundum, & dicere, quod Aloysius, filius Ignatii, sit magnus Sanctus. Tantam gloriam habet, quia internè operabatur. Quis unquam explicare poterit valorem & virtutem actuum internalorum! nulla est comparatio extrinseci ad intrinsecum. Verba sunt S. Mariæ Magdalénæ de Pazzis.

Punct. 2. Aloysius fuit Martyr incognitus. Qui enim te amat, Deus meus, adeò magnum te cognoscit, & infinitè amabilem, ut grande martyrium ei sit, quod te non amat, quantum vellet amare, & quod à creaturis non ameris, sed offendaris. Et ideo nunc fruitur DEO in cœlis

cœlis per amoris plenitudinem. S. Maria Magd. de Pazzis.

Punct. 3. Religionem navi persimilem esse dicebat, in qua non minores progressus faciunt, qui gubernatoris iussu otiosi sedent, quam qui remigando desudant. Solatio hoc sit Religiosis, qui non, ut vellent, occupantur; qui semper hærent in inferioribus; qui subinde innocentes premuntur. Humilis obedientia supplet omnia.

## MEDITATIO CCCXXXVI.

In FESTO S. Joannis Baptiste.

Punct. 1. *Ecce Agnus Dei.* *Ioan. c. 1.* Prædicat Christum publicè, & sibi infinitum præfert, adeò ut se indignum profiteatur, Christi calceamenta solvere. Non invideas aliorum laudibus, sed etiam tua accessione eas confirmare studeas, omnem æmulationem animo excludas.

Punct. 2. *Ego vox clamantis in deserto.* *Ioan. c. 1.* Sum vilissimum instrumentum DEI per me clamantis ad præparandas Filii DEI vias. Summum, quod sumus, est, esse instrumentum DEI. Quid gloriamur? & quidem tale instrumentum sumus, quod sæpius è DEUM impedit, ut non possit per nos operari, quod vellet, si instrumentum aptum essemus.

Punct. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum*

*meum ante faciem tuam. Matth. c. 11.*  
*Humilimum & de se abjectissime sentientem, ac loquentem Joannem DEUS Angelum appellat. Quantò magnus es, humiliatus in omnibus, & coram DEO invenies gratiam: quoniam magna potentia DEI solius, & ab humilibus honoratur. Eccli. cap. 3.*

## MEDITATIO CCCXXXVII.

### De Sancto Petro Apostolo.

Punct. I. *Tu scis, quia amo te.*

*Joan. cap. 21.* Magna conscientiae fiducia, dicentis ad illum, qui scit omnia: Tu scis, quia amo te? An idem potes dicere & eadem fiduciâ. Respondit Iesu: Pasce oves meas. Quia me diligis, commendabo tibi meas oves, quae magnam & laboriosam exigunt charitatem, hanc si oviibus meis exhibes, mihi exhibes.

Punct. 2. *Extendes manus tuas, & aliue te cinget, & ducet, quo tu non vis.* *Joan. c. 21.* Voluit Petrus declinare crucifixionem ad instantiam fratrum, Christus autem ei obvians dixit: Vado iterum crucifigi; quo audito reversus est Petrus ad crucem. Perfecta Petri resignatio! perfecta imitatio! Paratus esse debes ad omnia, si mundo mortuus es, & Christo vivis.

Punct.

Punct. 3. *Significans, qua morte clarificaturus esset Deum. Joan. c. 21.* Omnis nostri ipsorum victoria est D E I glorificatio : extendimus enim nos vincendo, nos omnia posthabere Deo. Cingit nos aliis, Superior. Dicit nos, quod non volumus nostra inclinatione, & homine inferiore. Extendimus manus perfecta subjectione, etiam usque ad mortem.

## MEDITATIO CCCXXXVIII.

In Festo S. Pauli Apostoli.

Punct. 1. *Domine, quid me vis facere? Actor. cap. 9.* Hæc vox est perfectè ad Deum se convertentis. Domine, da ; ut cognoscam, quid à me requiras, & omnia faciam. Et misit illum Dominus ad Ananiam, quod interpretatur, nubes Domini. Loquitur nobis Dominus per nubem, cùm loquitur per obedientiam.

Punct. 2. *Quis nos separabit à charitate Christi. Rom. cap. 8.* Provocat S. Paulus totum mundum, ita, ut nihil in eo sit, aut tam deliciosum, aut tam truculentum, quod eum possit à Christo avellere. Fecit verbis fidem, cùm in laboribus maximis, periculis plurimis, morte ipsa charitatem suam demonstravit.

Punct.

Punct. 3. *Vivo autem ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Gal. c. 2. Imitatio Christi erat S. Paulo quasi anima sua, ipsum vivificans & regens ad omnia. Ex modo vivendi illius elucebat modus vivendi Christi. Prototypon Christus est, nos debemus esse ectypa, eò meliora, quò Christo similiora. Nihil igitur agamus, quod nostram non deceat sanctitatem.

## MEDITATIO CCCXXXIX.

### In Festo Visitationis B. M. V.

Punct. 1. *Abiit in montana cum festinatione.* Luc. cap. 1. Igitur cum festinatione viam difficilem, ad communicandum gaudium incarnationis Elisabethæ, & liberandum à peccato originali Joannem. Sanctus amor gaudet bonis aliorum, quærit occasiones aliis benefaciendi, &, quod facit, facit promptissime.

Punct. 2. *Exultavit in gaudio infans in utero meo.* Luc. cap. 1. Tanta erat efficacia præsentiae Christi, tanta Beatæ Virginis! Exultemus & nos ad hanc præsentiam, & cum lætitia accedamus ad thronum gratiæ. Si bene penetraremus gratiam præsentiae Christi, vix avelli possemus à tabernaculo SS. Eucharistiae.

Non

**Non dimitteremus , sicut S. P. Ignatius ,  
Beatam Virginem à corde nostro.**

Punct. 3. *Magnificat anima mea  
Dominum; Luc. cap. 1.* hoc est, ex ma-  
gnitudine gratiarum , quibus obruit me  
Deus , apparet magnificentia Domini. Ob  
admirandam Filii Dei cum humana natu-  
ra conjunctionem exardescit anima mea  
in laudes Dei. Ob summam dignitatem  
maternitatis Dei mihi ancillæ suæ colla-  
tam exaltat spiritus meus in Deo salutari  
meo. In creatione mundi ostendit Deus  
omnipotentiam suam , in Incarnatione  
autem quasi exhaustit. Fecit potentiam  
in brachio suo.

## MEDITATIO CCCLX.

**In Festo S. Mariæ Magdalenæ.**

Punct 1. *Hic si esset Propheta, sciret  
utique, quæ & qualis est mulier , quæ  
tangit eum , quia peccatrix est. Luc.  
cap. 7.* Si non fuisset Propheta, passus  
eam Christus non fuisset: quia autem Pro-  
pheta fuit , pœnitentiam illius agnovit,  
conversionem & futuram ianctitatem  
prævidit, & ideo clementissime reverten-  
tem suscepit. Quam longè alia judicia  
Dei sunt ! Miseretur omnium , dissimu-  
lans peccata hominum propter pœniten-  
tiā.

Punct.

Punct. 2. *Remittuntur ei peccata multa , quoniam dilexit multum. Luc. cap. 7.* Mensura amoris fuit mensura doloris. Quantum amamus , tantum dolemus , quantum amamus & dolemus, misericordiam impetramus. Quis autem non amet dignum amore infinito ? Quis non doleat , sciens , se offendisse dignum amore infinito ?

Punct. 3. *Fides tua te salvam fecit , vade in pace. Luc. cap. 7.* Fides donum Dei ac lumen te ad me adduxit, cognitio mei ac gratia in te amore mei accedit , amor mei lacrymas & singultus expressit, amor & dolor veniam impetravit. Vade in pace cum Deo & conscientia.

## MEDITATIO CCCXLI.

In Festo S. Jacobi Majoris Apostoli.

Punct. 1. *Vidit alios duos fratres Jacobum Zebedei & Joannem fratrem ejus , reficientes retia. Matth. cap. 4.* Erat Christus in medio eorum , quia congregati erant in charitate & labore. Otiosos non vocasset, nec patri inobedientes, neque inter se differentes.

Punct.

Punct. 2. *Dicit illos in montem excelsum seorsum solos; Marc. cap. 9.*  
*nimirum Petrum, Jacobum & Joannem,*  
*quibus voluit facere gratiam videndi se*  
*in gloria. Non omnibus datum est ascen-*  
*dere ad sublimia: qui autem soli sunt,*  
*& solitudinem sanctam amant, sunt ap-*  
*tiores; nec dubium est, hos tres gratiam*  
*istam præ cæteris fuisse meritos.*

Punct. 3. *Assumpto Petro & duobus*  
*filiis Zebedæi cœpit contristari. Matth.*  
*cap. 26. Hos tres iterum voluit sibi el-*  
*se propiores, haud dubiè, quia chario-*  
*res. Et hi tres poterant ipsum observa-*  
*re orantem, in terra procidentem, san-*  
*guinem sudantem, Patris voluntati se sub-*  
*jicientem. Sunt Christo propiores, qui*  
*Christi passionibus communicantes gau-*  
*dent; & hi in revelatione gloriæ ejus gau-*  
*dent exultantes.*

## MEDITATIO CCCXLII.

### In Festo S. Annæ.

Punct. 1. *Obviabit illi quasi mater*  
*honorificata. Eccli. cap. 15. Cliens qui-*  
*dam S. Annæ moriens audivit hæc à Ma-*  
*tre Dei verba: Ego soror tua sum, nos*  
*infernum, ne illum intres, occludemus,*  
*quia matrem meam honorasti semper.*  
*Alius hæc à S. Anna: Nescis, quod in-*  
manu

manu mea sint omnes thesauri paradisi? S. Anna addictos sibi clientes tepidos esse non finit. Nadasi.

Punct. 2. S. Coletæ Virgini sibi addic-tissimæ apparuit S. Anna cum vase aureo, in quo reposuit preces omnes, quas in facello suo fundebat, & D E O dein eum omnibus cœli civibus pro Coleta obtulit. Vide, ut & tuæ hodie dignæ sint, quas Deo in vase aureo pro te offe-rat. Erunt, si ex corde puro ascendant.

Punct. 3. Beatissima Virgo clientem suum instruxit, ut S. Annam matrem suam coleret, & sic eam laudaret: Benedic-sit Sancta Anna mater tua, ex qua sine macula caro tua processit virginea. Alii dixit: Quidquid Annæ matri meæ rever-entia impenderis, mihi dupliciter gra-tum erit. Honoratur in Avia Mater, in Ma-re Filius. O Mater verè honorifi-cata!

## MEDITATIO CCCXLIII.

### In Festo S. P. Ignatii Fund. S. I.

Punct. 1. *Omnia ad majorem DEL gloriām.* Non contentus fuit agere be-ne, sed semper quaesivit id, quod est per-fectius, & Deo glorioius; quia major-omni laude, nec laudare sufficit. Tam amplo fuit peccore, ut totum mundum complectetur. Suos ad operandum emit-

emittens dicebat: Ite, accendite, & inflammate omnia. An etiam hoc igne ardes?

Punct. 3. *Vince te ipsum.* Hanc unicam credidit S. Pater viam ad magnas virtutes & perfectionem pertingendi: quidquid enim in hac via nobis obstat, vincendo amovetur. Quare generoso opus est animo, quo amorem proprium supprimamus, & omnes difficultates perrumpanus, ut ad finem vocationis nostræ pertingamus.

Punct. 3. In obedientia suos volebat esse eximios, ut aliorum Ordinum rigorem, jejunia, chorum obedientiam compensarent. Et hanc non solum operis & voluntatis esse voluit, sed etiam judicii, ut idem cum Superiore sentiamus, quantum fieri potest, ad omnem locum & officium parati.

## MEDITATIO CCCXLIV.

### In Festo S.P. Dominici Fund.

Punct. 1. *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt.* Isa. cap. 62.

Custodes hi sunt in Ecclesia DEI SS. Dominicus & Franciscus, quos Beatissima Virgo Maria pro mundi emendatione habere se dixit, scilicet Viros fer-

ven-

ventissimos, qui duos grandes exercitus contra mundi scelera eduxerunt. S. Dominicus ter singulis noctibus se flagellavit, primò pro sua ipsius salute, secundò pro existentibus in peccato mortali, ac tertiò pro animabus in purgatorio. Die nocturne non tacuit.

Punct. 2. Sancto Rosario totum mundum ad amorem & cultum Matris DEI excitavit. Hæc vicissim inter accinentes Angelos eum ad cœlum secum abduxit. O felicissimum tantæ Matris filium! quem dignata est Virgo sacrata laudare se, & dedit ei virtutem contra hostes suos, dæmones & hæreticos, qui in odio DEI Matris pari passu ambulant. Repræsenta tibi Matrem coram Filio fletentem, & audi: Petem mea! neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.

Punct. 3. In ejus fronte radians stella Cœlestem Virum significavit. Et certè fuit splendore sanctitatis ac doctrinæ, quo innumeros ad Christianam pietatem illustravit. Ut mundum scelerum tenebris obvolutum illumines, stella sis, ardens sanctitate, lucens doctrina.

## MEDITATIO CCCXLV.

In Festo S. Laurentii M.

Punct. 1. *Quo progrederis sine filio pater?* Eccl. Tam ardenter anhelavit ad martyrium, ut à S. Sixto separari vix posset.

posset. Hoc habent magni Christi imitatores, magna facere, & magna pati desiderant; sine dolore non volunt vivere in amore. Quid unquam magni præstitisti? quid tolerasti amore Christi?

Punct. 2. *Experire, utrum idoneum ministrum elegaris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.* Eccl. Quis est idoneus minister? qui sancta sancte tractat; qui Domini sui gloriam propagat; qui nullum laborem fugit; qui persecutionem & mortem non timet.

Punct. 3. *Interrogatus te dominum confessus sum, assatus gratias ago.* Eccl. Liberè te Christianum, Sacerdotem, Religiosum profitere verbis & factis. Inter contumelias, contemptus, afflictiones &c. gratias age. Nondum in craticula assatus es. Si verbum non sustines, quomodo ignem sustineres?

## MEDITATIO CCCXLVI.

### In Festo Assumptionis B. M. V.

Punct. I. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto.* Cant. cap. 8. Ascendit è vitæ mortalis exilio super choros Angelorum exaltata, affluit deliciis cœlestibus innixa super dilectum suum. Qui mundum aspicit ut desertum, inhiat cœlestibus. Qui in mundo vivit ut exilio, affluit

fluit deliciis supernis. Qui innititur super dilectum suum , non commovebitur in æternum.

*Punct. 2. Assumpta est Maria in cœlum , gaudent Angeli. Eccl. Quia Christum intimè amant , exultant de summa gloria Matris ejus , eamque tanquam Reginam suam venerantur. Etsi ! quousque virtus hominem exaltat ! Omnis sublimitas sine virtute sumus est ; omnis sublimitas ex virtute æterna est.*

*Punct. 3. In hereditate Domini marrabor. Eccl. c. 24. Hereditas Domini cœlum est; mora in illa , æternitas. Felix omnis hæres ; felicior , qui sanctior ; Felicissima Dei Mater , quia sanctissima. Ut autem heres sis , filius esse debes , & talis , in quo sibi complacet Pater tuus ; talis , in qua sibi complacet Mater tua. Quibus obsequiis illum & hanc tibi demereris ? utique filialibus ?*

## MEDITATIO CCCXLVII.

### In Festo S. Bernardi Abbatis.

Ad Vale mundo & salve cœlo dicendus triginta socios unà secum traxit, cordium deinceps dulcis magnes, animas ad Deum voce, calamo, exemplo, oratione, miraculis rapiens. 2. Aliquando ad Dei tribunal abreptus vehementer expayit, & meritis multum diffidens , Christi pretiosum

sanguinem illis affudit. 3. Paſſionis Dominicæ ferventissimum cultorem amplexus est Iesuſ manibus ē cruce ſolutis.

Punct. 2. Suis orantibus ſingulis ſingulos Angelos ad eſſe conſpergit, notantes nullā omissā ſyllabā, quidquid dicebant, auro, argento, atramento, aquā, prout quiſque ferventer vel tepidē orabat. 2. Ex ejus orantis ore viſus eſt ignis erumpere. 3. Domi ad ſuos dicens viſus eſt in altum unā cum cathedra elevari.

Punct. 3. Ad ejus latus Divinus Amorare conſpectus eſt, comes illius, quo cunque iret, in ſignum meriti ſpecialis, quod tam multos in Dei amore accenderit. 2. A Beata Virgine fanatus illam ſpeī ſuā fiduciā, & ad cœlum ſcalam eſſe dixit. 3. In plurimorum præſentia cùm diceret, Salve Regina, respondit Dei Mater, Salve Bernarde.

## MEDITATIO CCCXLVIII.

### In FESTO S. Bartholomæi Apoſtoli.

Punct. 1. *Ascendens in montem vocavit ad ſe, quos voluit ipſe, & venerunt ad eum. Marc. c. 3.* Inter hos, quos voluit, erat etiam Bartholomaeus. Et tu es inter illos, quos ſpecialiter voluit Deus, vocando te ad hunc ſtatum. Vide ut dignè ambules vocatione tua, agnoscendo eam

eam ut gratiam unam ex maximis: Suam  
S. Bartholomaeus compensavit inumeris  
in India & Armenia laboribus. Quibus tu  
tuam?

Punct. 2. Elegit duodecim ex ipsis,  
*Philippum & Bartholomeum.* Lnc. c. 6.  
Ad quid elegit? ad herumnas, persecutones,  
mortem crudelissimam, ad gloriam super  
alios eminentem. Vivus excoriatus est S.  
Bartholomaeus, toto corpore resplenduit,  
quia toto corpore passus. Ad quid Deus  
te elegit? Ad quietem, otium?

Punct. 3. Rursum circumdabor pelle  
mea. Job. c. 19. Noli parcere cuticulae  
tuæ! utut eam affixeris, recipies eam in-  
comparabiliter pulchriorem. Frigus,  
æstum, verbera, cubile durum non horreat  
pellis tua, quidquid passa fuerit in tempore,  
compensabitur in gloria. An eam ad  
cælum afferes integrum sine cicatricibus?

## MEDITATIO CCCXLIX.

De S. P. Augustino Ep. Eccl.  
Doctore maximo.

Punct. 1. Auditâ è cœlo voce: Tolle  
lege, tolle lege, tulit, & legit ex Rom. c 13.  
quales regnum Dei non essent possessuri.  
Tunc ad Alipium socium suum chariti-  
tum conversus dixit, quid secum ageret  
Deus. 2. Auditâ vitâ S. Antonii invahit A-

lipium & exclamavit: Quid est hoc? quid audisti? Surgunt indocti & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamus in carne & sanguine?

Punct. 2. Nunquam passus est coram se aliorum famam denigrari, id quod etiam scriptis in pariete duobus versibus insinuavit. Etiam in sublimissimo charitatis Dei & perfectionis gradu consenserunt, nunquam tamen pœnitentiam se posuit, habens etiam moriturus præ oculis septem Psalmos pœnitentiales, quos identidem profusis lacrimis legebat. Quò major scilicet est amor Dei, eò intensior est dolor de illo offenso.

Punct. 3. Cor illius, dum viveret, amoris Divini jaculo transfixum fuit. Post mortem ubi in ara collocatum est, mirè exultavit, dum Te Deum laudamus caneretur, aut coram illo liber de SS. Trinitate legeretur. Verissimè S. Paulus: Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia. Veræ pœnitentiæ & sincero amori nihil impervium est. Ut ut peccator fueris, dole, & ama, & altissimum sanctitatis gradum poteris descendere.

## MEDITATIO CCCL. In Festo Sanctorum Angelorum Custodum.

Punct. I. Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodian te in omnibus viis tuis; Psalm. 90. si tamen eorum vocem audi-  
eris.

erimus. Et quare non audiamus? sunt nostri amantissimi, & salutis nostræ studiosissimi. Fac illis, & tibi non invide hanc consolationem. Consiliarii tibi sint in omnibus. Erunt, si invocaveris, & ad sequendum paratum te ostenderis.

Punct. 2. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. Matt. c. 18.* Vident Deum abyssum omnium bonorum; cave, ne in te videant abyssum malorum. Duos testes habes operum tuorum, Deum & Angelum. Audes his præsentibus facere, quod coram viro honesto facere non auderes?

Punct. 3. *Præcedetque te Angelus meus, Exod. c. 23.* in columna nubis & in columna ignis. Nubes est viva fides præfentiæ illius. Ignis est ejus amor, quo Princeps coeli te terræ vermiculum comitatur. O si semper te præcedentem cogitares! O si pro ejus amore te gratum & obsequientem exhiberes!

## MEDITATIO CCCL.

### In Festo Nativitatis B. V. M.

Punct. I. *Dimitte me; jam enim ascendit aurora; Gen. 32.* illa scilicet, quæ post se traxit solem justitiæ. Ad exortum hujus auroræ extorsit mundus cum DEO luctans benedictionem. Surgamus è tenebris nostris, & ad hanc auroram accurra-

mus cum summa fiducia, ut invehat in animas nostras solem, Christum cum sua gratia. Invehet autem, si luxtemur, piis scilicet conatibus nobis demereamur magnæ Matris gratiam.

Punct. 2. *Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annunciavit universo mundo. Eccl.* Gaudeamus, quia nata est mater nostra, advocata nostra, refugium peccatorum; cui data est omnis potestas in cœlo & in terra ad impetrandum omnia, ab eo, qui potest omnia. Gaudebis, si verè amaveris.

Punct. 3. *Delicia mea, esse cum filiis hominum. Prov. c. 8.* Si cum peccatis, quantò magis cum immaculata? In hac habitavit per gratiam à primo conceptionis momento, & habitabit in æternum. In hac habitavit corporaliter novem mensibus, mitigavit suam justitiam, & prævale-re fecit suam misericordiam. An putas, delicias habere Deum in te?

## MEDITATIO CCCLII.

In FESTO S. MATTHÆI AP. & EV.

Punct. 1. *Vidit hominem sedentem in telone, Matthæum nomine. Matth. c. 9.* Mirabilis vocatio à telonio ad Apostolatum! Verè vocat Deus ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt. In quo statu eras, cum vocabaris? Toties te videt Christus

ad telonium , quoties te videt secularia  
tractantem negotia ; videt, & avocat.

Punct. 2. Et ait illi : sequere me , &  
surgens secut⁹ est eum. Matth. c. 9. Quan-  
ta efficacia Divinæ gratiæ ! quam insignis  
cooperatio Matthæi ! Transtulit hic camelus  
per foramen acūs, quia dives reliquit divi-  
tias. Audis : sequere me ? aude aliquid,  
& generosè te vince.

Punct. 3. Et factum est discubente  
eo in domo, ecce multi publicani & pecca-  
tores venientes discubebant cum Iesu.  
Matth. c. 9. Dignatus est Jesus esse con-  
viva Matthæi , & considerare inter peccato-  
res. Quærebat Jesus occasionem peccato-  
res alloquendi, docendi, convertendi tan-  
quam Medicus. Vide, quos tu despicias,  
quos ambias ? Vide, quomodo tecum  
eget Deus ?

## MEDITATIO CCCLIII.

In Festo S. Michaelis Archangel.

Punct. 1. Fortis in prælio fecit victo-  
riam. Eccl. Restituit in faciem Luciferο  
& dixit: Quis ut Deus ! Personam S. Mi-  
chaëlis age in omni tentatione, & dic: Quis  
ut Deus ? ut deficiam à Deo meo, & adhæ-  
ream creaturæ ? ut deseram bonum infini-  
tum, & fruar bono finito ? vano ? nullo ?

Punct. 2. Archangeli Michaël, con-  
stituti

*Sit uis te principem super omnes animas suscipiendas.* Eccl. Veniemus in manus S. Michaëlis, sed quomodo? pondusne habebimus in bilance? mala nostra ponderosa sunt, eruntne bona nostra ponderosiora? Amor meus pondus meum, ajebat S. Augustinus. Vide ergo, quantus fit amor tuus, & videbis, quantum sit pondus tuum.

Punct. 3. *Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli.* Eccl. Aromata sunt opera nostra bona. Sed quæ? an non fumum facient cum suffitu mixtum? Cura, ut digna sint, quæ offerat Angelus. Aromata sunt orationes nostræ. Putasne autem tales esse, quæ audeant subire conspectum Domini? Aromata sunt desideria nostra; si tamen pura.

## MEDITATIO CCCLIV.

### In Festo S. Francisci Seraphici.

Punct. 1. Triumphavit, si ullus aliis, carnem, mundum, dæmonem, delicias, honores, tentationes genuinus iste Imitator Christi, & ut Christo adhuc similiore esset, etiam stigmata Jesu Christi in corpore suo portavit. Sic triumphant, sic ornantur verè similes.

Punct. 2 Legit nomen suum inscriptum in libro prædestinatorum. Tunc plenus Deo, plenus intimis exultantis in cœlum cordis deliciis, Laus Deo, ajebat, Deo gratias,

tias, Laus Deo! neque extra hæc aliud quidquam per dies aliquot suspirabat. Similem spem habere possunt, qui cum hoc pauperrimo Christi imitatore possunt dicere: Deus meus & Omnia!

Punct. 3. De amore Dei loquens dicebat: Non potest ignis simul descendere & ascendere; non potest vilis nostrî amor cum excelso Dei amore in corde uno habitare. Ideo ille omnem alium amorem à se rejecit, ut amor crucifixi Domini sui in corde suo solus regnaret. Inter longos & horrendos morbi dolores ossa arida humi collidens terram exosculabatur, tenerimas Deo pro doloribus gratias egit, & centies alterum tantum petiit, ut cum crucifixo Christo suo simili dolorosa morte defungeretur.

## MEDITATIO CCCLV. In Festo S. Francisci Borgiae Soc. Jesu.

Punct. 1. E Ducatu ad Religionem transgressus humillima ambiit exercitia; coquo ad nutum paruit; statûs prioris titulos & memoriam horruit; infra Judæ pedes se abjecit, meditans Christum Judæ pedes lavantem; studiosè pueros rudimentis fidei erudivit; sui humiliatione dæmonem ab energumeno fugavit.

Punct. 2. Dicebat, sperare se, Societatem tribus potissimum ex causis bene sta-

turam ; oratione nimirum & SS. Sacramentorum frequentatione ; dein si à multis innocentia Societatis oppugnata fuerit ; denique obedientiâ. Ajebat enim : prium nos Deo conjungit ; secundum nos à seculi amore abducit ; tertium nos inter nos ut membra capiti conjungit.

Punct. 3. Dicebat, Religiosorum vitam esse perpetuam crucem atque martyrium, quod vincere se ipsos quotidie deberent, & perpetuò ex voto obedire. Viderent itaque Superiores, ut onera temperarent, nec nova excogitarent, & pro viribus cùjusque onus imponerent. Nimirum Patres debent esse, non Domini, quia filios sub se habent, non servos.

## MEDITATIO CCCLVI.

In Festo S. Simonis Apostoli.

Punct. 1. *Simonem, qui vocatur Zelotes, Luc. c. 6.* Apostolis suis connu-  
meravit Christus. Prædicatum hoc, Zelotes, proprium est omnium Apostolorum. S. Simoni etiam in nomen transiit, haud dubiè propter insignem in agendo pro Dei gloria zelum. Zelus probatio amoris est, pro eo enim zelamus, quem amamus.

Punct. 2. Zelus carnalis non vult ab ullo alio amari, quod amat ; spiritualis & sanctus vult ab omnibus amari, quod amat. Et hinc, qui Deum verè amat, omni modo conatur, omnes adducere ad aman-  
dum

dum hoc bonum infinitum, & omnes abducere ab odio hujus boni, infinito amore dignissimi.

Punct. 3. Zelus carnalis sibi credit imminui amorem amati, ab aliis etiam amati: spiritualis autem & sanctus scit amorem in amato augeri, quotiescunque alium ad hunc amandum adducit, Deus enim multò magis amat amantem, à quo alii ad amandum se premoventur, quibus suam bonitatem communicet. Tota vita S. Simonis zelus erat, & hoc ipso amor.

## MEDITATIO CCCLVII.

### In Festo S. Judæ Thaddæi.

Punct. 1. Lebbæus dictus fuit S. Judas à corde, quia cordis puritati, sanctitati & perfectioni unicè incubuit. Item Lebbæus, id est, leoninus ob animositatem & fortitudinem in prædicando per plura regna. Ac denique Lebbæus idem dicit ac mammeus, dulcis, misericors, liberalis ac munificus.

Punct. 2. Abagarum & Edeslenos ad Christi fidem convertit, à quo aurum & argentum copiosissimè oblatum recusavit, cum dico: Si nostra prorsus dereliquimus, quomodo accipiemus aliena? Quæ verba cor ejus purum, magnanimum & cœlestē esse demonstrarunt.

Punct. 3. Scripsit Epistolam Catholicam perpetuò invectivam in hæreticos, blasphemos, & luxuriosos, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam. Ad simulacrum

lunæ ductus, ut illud adoraret, sua oratione illud in frusta comminuit. Haslā transfoſſus nobile martyrium complevit. Verē Zelotes, qui Dei hostes persecutus animam suam immolavit.

## MEDITATIO CCCLVIII.

### In Festo Omnitum Sanctorum.

Punct. 1. *Gloria & honore coronasti Sanctos tuos; Eccl.* illos nempe, qui prote, ô Deus! strenuè laboraverunt, pugnārunt, passi sunt, perseveraverunt usque in finem. Hos tu coronasti gloriosæ æternitatis coronā, quæ tu ipse es. Ego ero merces tua magna nimis.

Punct. 2. *Hec est generatio quærenium Dominum. Eccl.* Omnes Sancti quærebant Dominum in vita suā, & qui aliud quærunt, non sunt Sancti. Quæretis me, & invenietis, cum quæsieritis me in toto corde vestro. Jer. 29. Dic tu quotidie saepius: Quæram, quem diligit anima mea.

Punct. 3. *Requiescent in monte sancto tuo. Eccl.* O sola & vera requies Sanctorum! Verē possunt dicere cum Ecclesiastico: Modicūm laboravi, & inveni mihi multam requiem. Modicum est omne vitæ nostræ tempus, quo laboramus, multum est, quod æternum est in requie.

## MEDITATIO CCCLIX.

In Commemoratione Omnium  
Fidelium Defunctorum.

Punct. 1. Non exies inde, donec redas novissimum quadrantem. Matth. c. 5. Nunc tempus est misericordiae, tunc autem erit justitiae, quæ ne minimum quidem defectum sinet impunitum, cuiusmodi tamen innumeros sine horrore committimus. Quid dicturæ essent hæ benedictæ animæ, si aliqui nos possent? similia: Pro una negligentia, aut pigritia culpabili plurium horarum ardenter illum ignem sustinemus.

Punct. 2. Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare. 2. Mach. c. 12. Sancta, quia ex vero amore Dei & proximi. Salubris, quia animabus redemptionem, nobis ingens meritum procurat. Sancta, quia toti SS. Trinitati gratissimum est, si hæ animæ citius ad ejusdem fructuorum promoventur. Salubris, quia quam mensurâ mensi fuerimus, remetietur nobis.

Punct. 3. Misericordia mei saltem vos amici mei. Job. c. 19. Qui Dei amici sunt, deberent etiam esse nostri. Si proin Deum amamus, etiam animas, Dei amicas, & ideo etiam nostras amare deberemus. Amabimus autem, si juvabimus, & pro illis debita exsolvemus. Accipiet hunc amorem Deus, quasi sibi exhibitum in filiis, sponsis, & amicis suis.

O 2 ME-

## MEDITATIO CCCLX.

In Festo S. Martini Episc.

Punct. 1. *Martinus adhuc carechumenuſ hac me ueste contexit. Eccl. Accipit Christus omnia, quaſi ſibi exhibita, quæ pauperibus, ægris, rūdibus, afflītis &c. exhibentur. Charitas hæc operit multitudinem peccatorum. Peccata eleemosynis redimuntur, & misericordiis pauperum corporalibus & ſpiritualibus.*

Punct. 2. *Qui nec mori timuit, nec vivere recufauit. Eccl. Quænam ſunt illa, quæ homini mortis timorem extinxunt? Seria pœnitentia, bona conſcientia, multa bona opera, SS. Sacramento, patrocinia Sanctorum, maximè B. Virginis. Cui hæc ſunt, nec mors gravis eſt, nec vita tædio.*

Punct. 3. *Martinus hic pauper & modicus, cœlum dives ingreditur. Eccl. Nihil habeas, quod inordinate diligas, & pauper es. In oculis tuis ſis modicus, habens totam tuam ſpem in misericordia Christi crucifixi, & dives es. Nemo pauper eſt, qui in Deo habet omnia. Nemo dives, qui in momento potest & aliquando debet omnia perdere. Dives eſt, qui cœlum dives ingreditur.*

## MEDITATIO CCCLXI.

In Festo B. Stanislai Kostkæ.

Punct. 1. *Maria Mater amabilis Jesulum ſuum in cauſiſimo ejus lectulo collocavit,*  
ac

ac unà sanitatem & Societatis ineundæ consilium dedit. O ineffabilem dulcedinem cœlorum Reginæ! O innocentissimam animam Stanislai! Quanto magis te avulseris ab omni inordinato amore creaturarum, tantò magis capax eris Divini.

Punct. 2. Cùm aliquando à calore ignis in corde absconditi æstuaret, interrogatus, qui ita ignesceret? respondit: Uror, uror totus ab igne Divini amoris. Et ita quidem exarsit, ut frigidâ affusâ temperari æstus debuerit. Vis ignem hunc in te accendere? stude Deum agnoscere.

Punct. 3. Bis ex manu Angeli SS. Eucharistiam accepit. Grande beneficium! & unde hoc illi? quia vehementissimè amavit, ardentissimè desideravit, studiosissimè se præparavit, in hoc uno omnes suas delicias posuit. O si nō sènt homines, quantus thesaurus lateat in hoc mysterio, darent omnia sua, & compararent illum.

## MEDITATIO CCCLXII.

### In Festo Præsentationis B. M. V.

Punct. 1. *In habitatione sancta coram ipso ministravi; Eccl. c. 24.* in templo scilicet, ad quod à parentibus fuit obligata. In habitatione sancta es, coram ipso, Deo nimirum, specialiter præsente, ministras, seu officio tuo occuparis ad gloriam Dei, utiq; etiam sanctè? studiosè? perfectè?

Punct. 2. Ascendit per gradus ad templum. Nunquam sta; sed semper progredere

dere de virtute in virtutem : ad DEUM enim ascendis , dignissimum omni obsequio, omni conatu. Verè Deum non cognoscis , si ad aliquid, quòd Deo infinitè minus est , in via morarisi.

Punct. 3. Patrem , matrem, domum, & cum his omnia reliquit. Sic oportet separari animam , Deo perfectè servientem, ab omnibus , quæ Deus non sunt: & tamen oportet ita vivere inter homines, ut illis oneri non sis , sed consolationi , auxilio & non impedimento.

## MEDITATIO CCCLXIII.

### In Festo S. Catharinæ V. M.

Punct. 1. Quinquaginta Philosophi, Porphyrius belli dux , ducenti milites & ipsa Imperatrix alloquio S. Catharinæ ad Christum conversi sunt. Stude, ut omnes à tua conversatione recedant meliores, id quod effi ies per Dei gratiam , si finis conversationum tuarum non fuerit à vocatione tua alienus.

Punct. 2. Blanditias & minas , promissa & tormenta superavit S. Catharina. Aut blandientem, aut furentem mundum experiēris ; utrumque contemne. Blanditiæ aut vanæ sunt, aut omnino malæ. Furiæ breves sunt, & tibi gloriosæ. Illæ deserent te , hæ exaltabunt te.

Punct. 3. Ad orationem S. Catharinæ contracta est tormentorum machina. Cùm tentaris , aut affligeris , ora. Non deseret Deus illum, qui pro illo certans opem ejus im-

implorat. Animo opus est. Plura possumus, quam credamus, si cum Deo audi-  
mus. Plus saepe impedit horror difficulta-  
tis, quam ipsa difficultas,

## MEDITATIO CCCLXIV.

In Festo S. Andreæ Apostoli.

Punct. 1. *Adduxit eum ad Jesum;*  
*Ioan. c. 1.* Andreas scilicet Petrum fra-  
 trem suum, volens eum participem facere  
 thesauri, quem invenerat in Christo. Hæc  
 est vera charitas, quæ omnibus bene vult,  
 omnibus benefacit, omnes adducit ad eum,  
 qui omni amore dignissimus est, & omnibus  
 est omnia. Verus amor non timet, ne sibi  
 aliquid decedat, quādo etiam aliis felix est.

Punct. 2. *Vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare.*

*Matth. c. 4.* Vidi concordes, vidi labo-  
 rantes. Tales debent esse Apostoli, in cha-  
 ritate unanimis, in labore indefessi. Ta-  
 les erimus, si ad unum eumdemque finem  
 omnes respexerimus.

Punct. 3. *Continuò relictis retibus se-  
 cuti sunt eum. Matth. c. 4.* Retia oportet  
 nos relinquere, quæ à perfecta Christi imita-  
 tione nos retrahunt. Continuò sequi nos de-  
 cet vocantem Christum ad Apostolicos la-  
 bores. Sequi debemus Christum relictis om-  
 nibus ad nostram vocationem non facien-  
 tibus. Quæ tua est remora in sequela Christi?

## MEDITATIO CCCLXV.

### In Festo S. Francisci Xaverii J. A.

Punct. 1. Amplius Domine! laborum-  
scilicet, afflictionum, defatigationum, ani-  
mârum. Sicut ignis nunquam dicit, sufficit,  
ita fervor hujus Apostoli omnes difficulta-  
tes exhausit, semper parùm se facere arbi-  
tratus pro Dei gloria, quamdiu aliquid  
faciendum supereisset. An provocas, an  
removes difficultates?

Punct. 2. Per amorem Christi Jesu, Ma-  
tris Dei & S.P. Ignatii rogabat & obtestaba-  
tur Rectorum Collegii, ut magna cum le-  
nitate ageret cum omnibus nostris; nihil  
injungeret, nisi post diuturnam delibera-  
tionem; verbis uteretur, quæ nihil habe-  
ant asperum, nihil despoticum: Societa-  
tem enim esse societatem amoris.

Punct. 3. Persuassimum esse omnibus  
volebat, voluntatem, quâ quis ex integro  
se devovet ad Divinum beneplacitum, gra-  
tius esse holocaustum, quâm quidquid illu-  
stre fieri à quoquam potest. Hominis fan-  
titatem in eo sitam esse ajebat, ut homo  
velit, quod vult Deus.

## MEDITATIO CCCLXVI.

### In Festo S. Nicolai Episcopi.

Punct. 1. Omnibus in pauperes eroga-  
tis totum se Deo dedit. Renunciasti omni-  
bus terræ bonis? Totum te Deo da: to-  
tum, dico, nihil excipiendo, nihil reservan-  
do, totam substantiam tuam Divino obse-  
quio

quilo impendendo. O quot particulas tui  
Deo subtrahis?

Punct. 2. Tres Tribunos per calumniam  
accusatos & condemnatos liberavit. Tan-  
ti habuit proximorum famam & vitam, ut  
per miraculum Constantino Magno exeme-  
rit errorem injustæ sententiæ. Non cre-  
dam, quod ames proximum sicut te ipsum,  
si illum non ex totis viribus defendas.

Punct. 3. Instante morte suspiciens in-  
cœlum Angelos sibi occurrentes vidit, &  
Psalmum: In te Domine speravi, pronun-  
ciavit. Quis tibi occurret? quos coluisti,  
quos imitatus es. Quid dices morituriens?  
quod sanus. Affuesce sanctis spiriis, fre-  
quenter animam tuam cum Deo conju-  
ge, fac tibi amicos pro hora, à qua pen-  
det æternitas.

## MEDITATIO CCCLXVII. In Festo Immaculatæ Conceptio- nis B. Mariæ V.

Punct. 1. *Tota pulchra es, amica mea.  
tota pulchra es, & macula non est in te,*  
Cant. c. 4. Peccatum originale macu-  
la est. Quia ergo in Maria, tota pulchra,  
macula non est, etiam peccatum origi-  
nale non est. Quanta gratia B. Virginis!  
quanta felicitas Deum in nullo offendisse!

Punct. 2. *Quaretur peccatum illius,  
& non inventetur. Psalm. 9.* Totus mun-  
dus

dus Mariam Virginem sibi similem arbitratu-  
tus est in peccato : quia tamen totus mun-  
dus non habuit similem filium Filio Dei,  
debuisset aliter arbitrari, & dicere : non  
decet talem Filium Matrem habere pec-  
caminosam. Vide ne injuriam facias tan-  
tæ Matri, dicendo te esse Filium Mariæ.

Punct. 3. *Non enim pro te, sed pro  
omnibus hac lex constituta est. Esther.  
6. 15.* Potuit utique Deus à lege pec-  
cati eximere Mariam ? si potuit, fecit ;  
quia utique ad ignominiam cessisset Fili o  
Dei peccatum Matris ! Utique si Summa  
Puritas & Sanctitas potuit habere Matrem  
puram & sanctam , non assumpsit macu-  
latam. Odit Deus summoperè peccatum in  
cunctis , odisset utique plus in Matre !

## MEDITATIO CCCLXVIII.

In Festo S. Thomæ Apostoli.

Punct. 1. *Non credam. Joan. cap. 20.*  
Licet omnes discipuli asseverarent, se vi-  
disse Dominum, obfirmavit tamen Thomas  
caput suum, & non credidit. Ingens su-  
perbia est, duci sensu suo contra omnes,  
separare se à communitate, & sibi soli sa-  
pere. Qui opiniones suas adorat, non  
procul abest à stultitia.

Punct. 2. *Iterum erant discipuli ejus  
intus, & Thomas cum eis. Joan. cap. 20.*  
Quamprimum se communitati adjunxit  
Thomas, vidit Dominum. Ubi plures in  
DO-

Domino sunt congregati, esto & tu, ut gratiam, quam solus non acciperes, accipias cum aliis. Imò, si verè humilis es, gratulare tibi, quod sis in communione bonorum.

Punct. 3. Respondit Thomas & dixit ei: *Dominus meus, & Deus meus. Joan. c. 20.* Verba hæc sunt animi errorem suum agnoscentis, detestantis, & confitentis. Forsan multa sunt, quæ practicè non credidisti, hoc est, non ita vixisti, quasi crederes. Credidisti omnium negotiorum maximum esse curam tuæ salutis; practicè autem omnino omnia alia diligentius curâsti.

### MEDITATIO CCCLXIX.

#### In Die Nativitatis cujusque proprio.

Punct. 1. *Exiri à Patre, & veni in mundum. Joan. c. 16.* Exivi & ego à Patre per creationem, & veni in mundum per nativitatem. Quantas gratias debeo Creatori meo, quod me ex innumeris millionibus creaturarum possibilium extraxerit & hominem fecerit! Et cur me creavit? ut haberet in me servum fidelem, filium amantem, æternum laudatorem.

Punct. 2. *Venire in mundum. Joan. c. 16.* Et quid haec eras in eo feci? quam multa mala, quam pauca bona! Fui instar arboris in horto viventis folia fermentis, fructu carentis! & quare? quia non serio incubui, ut sese animus meus avelleret ab iis, quibus pestifera dulcedine inneckus erat. Sit ergo hodie die nativitatis meæ in spiritu.

Punct. 3. *Verum relinquo mundum, & vado ad Patrem, Joan. c. 16.* Ecce non habes hic manentem civitatem, abibis certò, & forsan brevi. Quid? ad Patrem? ad Judicem? Ad Patrem eunt filii, ad Judicem rei. Ah! quoties me non gessi ut filium! heus quoties Patrem offendidi! saltem nunc iincipiam esse quoties

filius! saltem nunc desistam Patrem offendere! in quo? in quo?

## MEDITATIO CCCXLX.

### In die Professionis Religiosæ.

Punct. 1. *Redde Altissimo vota tua. Psalm. 49.* Vovisti, & forsan non reddidisti? forsan ex sacrificio tuo aliquid decerpisti? forsan non ita, uti debebas, statu tuo contentus persolvisti? quare renovatione aliqua opus habebis.

Punct. 2. *Immola Deo sacrificium laudis. Psal. 49.* Hilarem datorem diligit Deus. Quare si aliqua quasi coactus facis, aliqua languide & superficialiter, non erit sacrificium laudis.

Punct. 3. *Non apparebis in conspectu meo vacans. Exod. c. 23.* Deberes hodie apparere coram DEO cum manipulo frugum, pomorum veterum & novorum; veterum, ratificando tua prima promissa & proposita; novorum, renovando ad majorem perfectionem:

## MEDITATIO CCCLXXI.

### In die suscepiti Sacerdotii.

Punct. 1. *Eece constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & diffipes, & ædifices, & plantes. Jerem. c. 1.* Hæc sunt officia Sacerdotum. Constituti sunt reformatores totius mundi. Evectus es ad hanc dignitatem, ut labores pro gloria Dei ex animarum salute,

Punct. 2. *Ut evellas, & destruas, & disperdas, & diffipes, Jerem. 1. zizania malorum morum, peccatorum, ignorantiarum. Ad hoc autem requiritur, ut ipse non habeas evellenda &c.* A temetipso ergo incipe, & evelle omnia, quæ possunt impedire Deum, ne possit per te agere, quod vult.

Punct. 3. *Et ædifices & plantes, Jerem. 1. exemplo virtutum, & feracitate doctrinæ, & indefatigabili labore. Noli contentus esse evulsione zizaniorum, sed insuper omnis generis virtutum in plantatione te & alios excole. Qualis hortulanus es, talis erit hortus.*

